MVSIS DICATVM

ANTONII LODOVICI MEdici Olyßipponēſis Problematum libri quinq́ʒ: opus abſolutū, & facūdū, & uarum, multijugaque eruditione refertißmum.

OLYSSIPPONE.

M. D. XXXIX.

NC REVIVIS NV CO



DIVO ET INVICTISSIMO LVSITANIAE REGI, ARABIAE, PERsiae, Indiae, AEthiopiae, Mauritaniae, & Occeani maris longe lateq; domino, & religionis nostrae aduersus fidei hostes: acerrimo propugnatori, Ioanni huius nominis tertio principi semper augusto, Antonius Lodouicus medicus Olyssipponensis. P. S. D.



ONSVETVDO EST IAM pridem recepta SERENISSIME prīceps, & olim à doctissimis quibusq; usurpata, ut literarum cōmentationes suas in uulgus daturi: eas principibus uiris nuncuparent, ut eorum patrocinio fultae, omnibus hominibus commendatiores essent. Sic Plutarchus Traiano apophthegmatū libros & politica īscripsit. Sic Seneca Neroni, Iuuenalis Domitiano, Vergilius Augusto, Constantino Lactantius, Isocrates, ad Nicoclem regem, & Aristoteles ad Alexandrum, rhetorica & librum de mundo, & alij alijs sua uolumina & opera dedicarunt. non adeo ob gloriam & famā, quā illorum existimationi accessuram putabant, sed etiam quia ea dicatura maiorem auctoritatem habitura sua scripta sperabant, si illis fuissent inscripta, qui dignitate caeteris omnibus praestarent. Nam quemadmodum quae sunt in edito & sublimi loco posita, praeclarius ab omnibus conspiciuntur, ita sanè egregie suis rebus consuluisse uidentur: qui regibus suas lucubrationes & ingeniorum labores consecrarunt. Multa preciosa ideo existimantur, quia templis sunt dedicata, & locus interdum nonnullos commendat, quemadmodum Themistocli obiecisse Seriphium quendam narrant, quod non sua sed patriae claritudine tantus euasisset. Atq; huc spectare Platonis illud mihi utique persuadeo, qui tū demū beatas fore res publicas asseruit, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. nimirum significans tum probe res humanas mortaliumque habituras, si qui excelso solio sunt constituti, literis & ingenijs fauerēt. atq; eo etiam pertinere putandū est, quod libro edito, Plutarchus scripsit, oportere philosophos cū principibus cōuersari. Sūt enim libri etiā ea rōne ab ijs sanè legēdi: (ut Demetrius Phalereus monebat) quia ea quae amici regibus, uel timore, uel metu, ne in offensam eorū incurrant, dicere praetermittūt, ea omnia in ijs late scripta deprehenduntur. Huc accedit quod cum immortalitatem plurimi ferme principes exoptare soleant (nullam enim aliam mercedem, praeter hāc

laudis

laudis & gloriæ summa rerum potestas uirtusque requirit.) Hæc non aliunde certius quam ex literarum monumentis sub inde peti potest. Atheniensium, Romanorum, & Lacedemoniorum res gestæ, non maiores profecto apparent: quam illas actorum & annalium scriptores uideri uoluerunt, qui si non fuissent, illorum præclara facinora unà cum tempore intercidissent, & omnē memoriā longa ætas oblitterasset. Hinc nobilis illa uox Alexādri ad sepulchrū Achillis. O fœlicem iuuenem qui talē tuæ uirtutis præconē habere meruisti. idē deuicto Dario & scrinio præciosissimo inuēto, cum uarios amici eius usus præscriberent, seruandis Homeri libris dedicauit. Cumque nuncius quidam ad eum alacer festinabundusque properaret, quid tantopere inquit festinas, nunquid Homerum reuixisse mihi narras? qua uoce se nihil aliud æque cupere testatus est, quam sibi contingere scriptorem, cuius beneficio illius famigeratissima gesta immortalitati traderētur. Atque ut propius accedam, tum demum in urbibus plurimi & doctissimi uiri passim emergunt, cū illis regum fauor non deest. & ut egregie idem Plutarchus in præceptis connubialibus scribit, cum doctos & sapientes principes fouent, amant, alunt, tuentur, tum & illos ornant, tum uero ab illis honestantur. Et ut breuibus dicam Alexander tantus euasit: quia Aristotilem habuit præceptorem, cui tātum tribuebat, ut illi plusq̄ Philippo parenti debere se fateretur: quia ab hoc uiuendi, ab illo autem beneuiuendi munus accepisset. Idem tantum litteras philosophiamque diligebat, cum & Asiam subegisset, & ob animi fortitudinem singularem, & fortunā quæ illi semper benigno pollice arrisit, omnibus admirabilis haberetur, ut grauiter ad Aristotelem cōquæstus sit, quod libros de physico auditu edidisset. Non recte (inquit) fecisti, quod auscultatorios tractatus quibus à te edocti sumus, palā facere uoluisti. Nos enim alijs præstare litteris magis uolumus, q̄ armis & rerū copia. Ego igitur inuictissime princeps, illorum quos supra recensui, exemplū secutus, nō cōmittendū mihi putaui, ut libris problematum quos, diligentia, studio, plurimis laboribus sedulo comparauerā, te in patronū nō aduocare, cuius diuino numine fulctū opus, perinde ac sub orci galea cōstitutū, in hominū ora prodire nō erubescat, & lacerātiū, calūniatorum, uitiligatorūq; demorsus effugiat, qui instar canū qui oībus ignotis allatrāt, carpūt quod non intelligūt, damnant quod ignorāt, reprehendunt quæ ipsi facere nè per somnium quidem potuissent. magistri & censores haberi uolunt, antea quam discipuli esse cœpissent. Nec sum tam mentis inops: ut ea qua Æpicurus insania tenear, qui se īmortalitatē ijs dare gloriabatur, ad quos scribebat. nullū tā graue & doctissimū opus esse potest, quod te dignū æque, aut par tuis meritis futurū sit munus. Sed quid faciā? uideo personarū maximā inæqualitatem. Tu Rex & regum quidem maximus (ut ego sane censeo) es. nos numerus quod aiunt sumus. Sed ut ue-

re dicere ausim, quid quid à tuis agitur id totum tuum est. Tu omnium fortunarum, & corporum etiam nostrorum dominus. Subditis impensius fauent reges, ut caput cæteris membris. non est aliquis cui illi non bene uelint. inter mortuos censeri debet, si quis sit, quem odijs rex prosequatur. ita etiam optimo iure omnia tibi debentur, quæ ipsi produximus: qualiacūq; sint. spero tamē hominibus maxime placitura, præsertim cum tibi dicata fuisse cognouerint. Romani uates ad famosissimum tēplum pacis sua opera conferebant, ego tibi principi sanctissimo meas hasce cōmentationes consecrare uolui. uenesicia mea hæc sunt, utinam & uigilias quibus constiterunt, subinde afferre possem. Dū hæc mussitamus pluribus horis uiuimus, profecto enim uita uigilia est. Tu igitur maxime & iucundissime princeps hanc opellā nostram: qua fronte à pauperculis hominibus paucula thuculi grana, aut corollas uarijs ex floribus quos producit ager contextas diui suscipere solent, alacer lætusque suscipias. Cū ad dominici tabernaculi constructionem multi multa deportarent & pro se quisque pro sumptu & opibus afferret, alius aurum, alius argentū, alius purpuram, alius byssum retortam, alius hyacintum, alius coccum, alius sericum adduceret. qui pauperiores erant, caprarum pilos ad opus etiam necessarios, ut ex hijs cilitia fierent, quibus opera tabernaculi tegerentur, domino iubente defferebant. Apud gentes mola tantum salsa litant: qui nō habēt thura. Nemini fuit uitio deos colere quo quo modo posset. Artaxerxes haustam utraque manu ex proximo flumine aquam à rustico hilaris accepit. Et pauperculam anum quæ duo minuta intulit, non minus dedisse scriptura commemorat, quā eos qui amplissima donaria in Gazophylazium intulissent. Sat dedit ille qui dedit omne quod habebat. Tu quoque si hoc quod munerarium tibi dicatur opus, placido sinu exceperis, erit is laboris nostri fructus uberrimus, & quid quid nostrū deinde parturire & efficere ingeniū possit, id totum ad tui nominis claritudinem conferemus.

Epigramma auctoris de libris suis.

Quod sim mortalis noui, quod uixque diurnus.
Quod quæcunque cito me leuis aura feret.
Sed tamen abstrusas rerum cognoscere causas
Dum studeo, & musis otia semper ago,
Non tango terram, liquidas sed elapsus in auras
Assideo diuis, compleor ambrosia.
Non fato ueniente cadam, multosque secutus,
Ignotum longa neque ero nocte caput.
Sed cum uicturis uiuam per secula chartis,
Cum maneat semper: nomen in orbe meum.

AD LE-

AD LECTOREM PRAEFATIO AVCTORIS.

PRoblematum libros: opus iã ante aliquot annos apud me natũ, nũc temporis otiũ adeptus: proxima fœtura, in cõmune bonum in uulgus edere constitui. Bonum nanque quanto communius: tanto melius, diuinius autem, si commune fuerit & ciuitati, & gentibus, ut primo moralium Aristoteles ait. Olim cum per omne scriptorum genus circunuolitarem, gaudentemque ueluti hac peregrinatione animum, per græcorum amœnissima & disertissima commentaria traducerem, ex selectissimis quibusque, exactissima quæque & exquisitissima decerpebam, & problematũ instar in librum regerebam, quæ præclara imprimis, & egregia præ cæteris uidebantur. Itaque (quod dictu arrogans & superbũ ne sit) ingenio, copia, & omnifaria lectione fretus, hoc opus congessi, rebus opulentum, sententijs graue, dictione minime infacundum, quod breuibus pagellis scientiarum ꝗ̃ plurima & pœnitissima archana complectitur, quæ alioquin longo tempore, multis laboribus, non mediocri sumptu: ex libris longe diuersissimis, haurienda forent. Igitur quicũque uolet modica legere, multa scire breuiter: hunc (ni fallor) non pigebit, in huius nostri operis lectione, fuisse uersatũ. Auctores quos in hoc concinnando opere secutus sum: græci fuere, atꝗ̃ ij imprimis Galenus, Proclus, Plutarchus, Plato, Aristoteles, Alcinous, Alexander, diuus Dionysius, & alij innumeri, quod ideo dixerim, ne quis nos propriam gloriam negociari arbitretur. Enimuero hoc quoque sciendum est, quod problema ut hic assumimus, tunc constat, quando rei manifestæ causa quæritur ignota. ut si quæramus propter quid dentium congelationem ab acidis fructibus factam portulaca persanat? uel propter quid uentres hieme calidiores? uel cur AEgyptus calida regio, frigida uina producat? & alia id genus. priora ita quidem sese habere significamus, sed causam perquirimus. Cõsimili modo Galenus librum edidit de dubijs motionibus in quo motuum qui sunt manifesti & expositi ut sternutatiõis, linguæ, palpebrarum, & aliorum id genus obstrusas & minime conspicuas rationes inuenire conatur. Proinde qui diffiniunt problema esse quæstionem dubitabilem, non recte diffinire uidentur. cum hic tantum causa dubitetur, non res ipsa. Porro hæc dictio an qua insolutionibus problematũ frequenter utimur, non dubitantis sed affirmantis est nota. Nam in hoc quod ab Aristotele & à plerisque uiris alijs disertissimis factitatũ est, sequi uoluimus. qui talem dictionem in responsionibus perpetuo adhibent. Aristoteles enim hac uoce. e. cui hæc latina an respondet, in solutionibus utitur, quæ ambo asse-

ambo asserendi utique uim habent, cum in respondẽdo ponuntur. ut si quæram, propter quid nonnulli carpunt bonas literas, & dicam, An quoniam nunquam didicerunt, uel grece. e. oti oude pote emathon, per inde est ac si dicatur, utique uel certe, uel profecto hoc ideo fieri, quia nunquam didicisse eos contigit. Proinde qui aiunt ab Aristotele in Problematum præclaro opere, omnia dubitata, nihil assertum, hij mea sententia longe sane aberrant.

Hæc te lector admonuisse uolui. Omnia boni consule & bene uale. Mox quinque libros de occultis proprietatibus, deo fauẽte in gratiã omniũ studiosorũ edemus: in quibus aleam (quod aiũt) iecimus. Et quantũ studio, ingenio, & lectiõe uaria cõsequi potuimus, tãtum in se continent. quod opus est absolutissimũ (si quodpiam aliud.) omnium quæ à nobis hactenus prodierunt, iterum diu

Vale.

Ex ædibus nostris Olyßipponæ decimosexto kalendas Decemb.

Epigramma in detractorem.

Eße negas nostris: mentem famamque libellis.
 Atque ideo carpis, tu meliora face.
Sed scio non poßis, nec si te ruperis. ergo
 Vel lubens laudes nostra, uel ede tua.
Cras fiet hoc inquis: dic quando cras erit istud?
 Sera nimis lux est crastina: scribe hodie.
Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras.
 Tempus erat te iam liuide amice legi.
An mortem expectas: tua ut post funera quondam,
 Edant hæredes, eia age iam morere.

ANTONII

ANTONII LODOVICI MEDICI OLYSSIPONENSIS PROBLEMATUM LIBRI QUINQUE, QUI CONTINENT SECTIONES DECEM ET SEPTEM.

LIBRI PRIMI SECTIO PRIMA,

continens nonnulla quæ hominem concernunt.



VR HOMO PARVUS mundus à ueteribus appellatur? An quia etiam ipse mũdus animal quoddam est, marisque & fœminæ natura ãbigua præditus dicitur, (ut apud Philostratum Hiarcas) quod ipse seipsum iniẽs cõprimensq; mũdus, in seipso tũ patris tũ matris opera, muniaq; obit & adĩplet. Vnde AEgyptij absurdum & temerariũ putãt, cælum masculo noĩe nuncupare, quod generatio lunæ, solis, & reliquorum siderũ in seipso perficiatur, quod fœmineæ naturæ est opus. Quòd si mundus animal est, quod inde satis patet, quia oĩa discurrens uiuificat, nihilque est quod ab illo uitam non sortiatur, non abs re homo minor mundus dicatur. An quia omnia quæ in maiore illo orbe conspiciuntur, hæc eadem etiam in homine adsunt. Sũt in cælo sidera & sol ipse aureus, dulcissimũ mittens mortalibus lumen. sunt item in nobis luciferi oculorum orbes: binaq; lumina purissima atq; nitidissima luce fulgentia, quæ in alto atq; sublimi specula posita: uiã nobis commostrant, & quid fugere quid ue sequi expediat ostẽdũt. Sũt etiam in nobis quatuor humores, elementis quibus cõstat mundus, proportione respondẽtes. Est atra bilis, hypostasis & grauissimũ quod in cruore est, terræ sua grauitate proportionalis. Refert ignẽ suo ardore flaua, est aeri sanguis suo calore & humore proximus, aquam pituita suo candore & insigni frigiditate representat. Quin & ceu æther quidam caput in nobis est. aeri pectus thoracisq; particulæ iure accommodantur, in quibus animæ canales & uitæ spiracula (qua itque reditq; reciprocus aer) continentur. Cum mari uenter similitudinem gerit, eo ꝙ in illum per inde ac in quẽdam gurgitem poculenta & esculenta quæcunq; haurimus, & totius corporis humiditates illuuiesque incumbunt, & saburrantur. Iam pedes sua immobili firmissimaque stabilitate corpori fulcimentum baculationemq; ut erectus homo persistat, præstãt.

Quẽadmodum tellus manens immobilis (quæ ob id ꝙ alijs stationis mansionisq́ꝫ sit causa: estia uestaque nũcupatur) cunctis quæ mouentur: quo innitãtur concedit. Est præterea illic cælorum numerus qui eximias uires inferioribus infundũt. Nõ desunt in nobis quatuor principalia uiscera cor scilicet & iocinus, & cerebrum, & prolifici testes mirificũ principatũ in tota corporis sorte obtinentia. Correspondet aplani cor nobilissimum uiscus. ut enim illius influxu subtracto: mox mundi machina corrueret: sic si cor aliquid pateretur, ne momẽto quidẽ tẽporis uita nobis staret. Quãuis hoc unum intersit, ꝙ cælũ & suprema illa corpora: non ideo lucẽ & caloris beneficium, & alia mille munera mortalibus impartiunt, ut inde aliquid commodi referant, cor autem si membris alijs sanguinem elaboratum, & spiritum uitalem contribuit, magnam quoque ab illis utilitatem percipit. Et ueluti in uniuerso: quo quid in entium ordine nobilius est, eo supremo illi corpori proximiorem locum obtinuit: ad eum modum quo membrum aliquod in corpore nobilitate præstat, eo cordi uel secũdum situm magis adhæret, uel per uasa totius corporis cõmunia illi mage connectitur. q́ꝫuis illud intersit, ꝙ illic uiliora à nobilioribus contegantur, in nobis autem quo artus magis præcellunt, eo inter corpus sub aliorum custodia reconduntur. Et ueluti sine omnibus suis partibus mundus constare non potest, ita nec carnem uel oculum, uel cartilaginem, uel pinguedinem, uel aliam quãcunq́ꝫ particulam corporis offendas, quæ se sola uitã sustentet. Et sicuti in ingenti illa mundi compage eædẽ sunt ortus & interitus causæ, quia ut inquit Plato omnia à seipso in seipsum, & agens, & patiens, & corruptionem, & alimoniam sibi ipsi sui ipsius præstans mundus ex arte cõstitutus est. Ad eũ modum facultates naturales quibus uitam tuemur, si aut quod non oportet, aut minus magis ue q́ꝫ expediat, uel trahant, uel retineant, uel alterent, uel pellant, nobis excidium & internitionem minantur. An uero propter mirificam partium posituram, & elegantissimum decus microcosmus potuerit homo appellari. Vt enim in grandi illo mundo nihil est, quod non pulcherrimo ornatu cõstructum sit (unde illi nomen impositum) & quod non mirificam bonitatem, sapiẽtiam, & potentiam opificis (quem demiurgon uocant) non ostendat, ita in corpore nostro nulla est tam abiecta, & uilis particula, quæ aut melius construi, aut decentius collocari poßit. Si enim solẽ præstantissimũ & lucidissimum diei astrum uilissimo pedi conferas, nec illum præstantiori loco poni potuiße, nec hunc alia q́ꝫ ea qua nũc positus est regione debere cõstitui, liquido cognosces. Vt enim ille si stationẽ qua nũc luna est occuparet, omnia radiorũ iaculis urerentur. Aut si ad Pyroentis Phaetontis ue, hoc est uel ignei Martis, uel lucidi Iouis locũ poneretur, omnia frigerent: sic nec pedi præstantior locus q́ꝫ imus, ut toti corpori fulcimentũ præstet,

aßignabitur

Quēadmodum tellus manens immobilis (quæ ob id ꝙ alijs stationis mansionisꝙ; sit causa: estia uestaque nūcupatur) cunctis quæ mouentur: quo innitātur concedit. Est præterea illic cælorum numerus qui eximias uires inferioribus infundūt. Nō desunt in nobis quatuor principalia uiscera cor scilicet & iocinus, & cerebrum, & prolifici testes mirificū principatū in tota corporis sorte obtinentia. Correspondet apla ni cor nobilissimum uiscus. ut enim illius influxu subtracto: mox mundi machina corrueret: sic si cor aliquid pateretur, ne momēto quidē tēporis uita nobis staret. Quāuis hoc unum intersit, ꝙ cælū & suprema illa corpora: non ideo lucē & caloris beneficium, & alia mille munera mortalibus impartiunt, ut inde aliquid commodi referant, cor autem si membris alijs sanguinem elaboratum, & spiritum uitalem contribuit, magnam quoque ab illis utilitatem percipit. Et ueluti in uniuerso: quo quid in entium ordine nobilius est, eo supremo illi corpori proximiorem locum obtinuit: ad eum modum quo membrum aliquod in corpore nobilitate præstat, eo cordi uel secūdum situm magis adhæret, uel per uasa totius corporis cōmunia illi mage connectitur. ꝗuis illud intersit, ꝙ illic uiliora à nobilioribus contegantur, in nobis autem quo artus magis præcellunt, eo inter corpus sub aliorum custodia reconduntur. Et ueluti sine omnibus suis partibus mundus constare non potest, ita nec carnem uel oculum, uel cartilaginem, uel pinguedinem, uel aliam quācunꝙ; particulam corporis offendas, quæ se sola uitā sustentet. Et sicuti in ingenti illa mundi compage eædē sunt ortus & interitus causæ, quia ut inquit Plato omnia à seipso in seipsum, & agens, & patiens, & corruptionem, & alimoniam sibi ipsi sui ipsius præstans mundus ex arte cōstitutus est. Ad eū modum facultates naturales quibus uitam tuemur, si aut quod non oportet, aut minus magis ue ꝗ expediat, uel trahant, uel retineant, uel alterent, uel pellant, nobis excidium & internitionem minantur. An uero propter mirificam partium posituram, & elegantissimum decus microcosmus potuerit homo appellari. Vt enim in grandi illo mundo nihil est, quod non pulcherrimo ornatu cōstructum sit (unde illi nomen impositum) & quod non mirificam bonitatem, sapiētiam, & potentiam opificis (quem demiurgon uocant) non ostendat, ita in corpore nostro nulla est tam abiecta, & uilis particula, quæ aut melius construi, aut decentius collocari possit. Si enim solē præstantissimū & lucidissimum diei astrum uilissimo pedi conferas, nec illum præstantiori loco poni potuisse, nec hunc alia ꝗ ea qua nūc positus est regione debere cōstitui, liquido cognosces. Vt enim ille si stationē qua nūc luna est occuparet, omnia radiorū iaculis urerentur. Aut si ad Pyroentis Phaetontis ue, hoc est uel ignei Martis, uel lucidi Iouis locū poneretur, omnia frigerent: sic nec pedi præstantior locus ꝗ imus, ut toti corpori fulcimentū præstet, assignabitur

assignabitur: nec inferiorem minusue sibi aptam constructionem, & apparatum, q̃ uel cerebrum, uel oculus, uel quodcũq; aliud nobilium, pes est sortitus. An non propter has causas parui mundi appellationem homo commeruerit, cum æquo pariq; iure bruta quoque animantia, parui quidam mundi dicerentur. (quod nullus unquã uel mutire ausus est.) Sed quoniam ueluti in magna illa mũdi uniuersitate, unus deus princeps & rector est, qui uolatilem (ut in Lyceo disputãtes aiunt) currũ impellens, totam hanc molem imperio regit, atque moderatur. Ita & in nobis intellectus & ratio præsidet, quæ sublimi solio & alta corporis arce (ceu quidam puppi in summa gubernator) residens, sceptra tenet, & iura dat hominibus: quibus uitæ actiones functionesque exerceant, cuius beneficio in deos quosdam immortales, nõ iã caducos & mortales homines euadere possumus. Quamuis hoc sit discrimen: q̃ supremus ille mundi opifex & auctor separatus, subtractusque est. Nec si dicamus: q̃ per omnia migrat, & q̃ omnia sunt deo plena, compita, & omne forũ, (ut Aratus) abunde aut satis dicimus, quo infinitas illa quæ super omnia est, & cuncta cõplectitur, comprehendatur. At intellectus noster materiæ immersione non uacat, quãuis qui ingenue philosophantur, per continuam mortis meditationem: eum materia superiorem facere, & superas euehere ad auras, semper enitãtur atq; cõtẽdant.

2 Cur omnia unius hominis gratia produxisse tam animãtia, q̃ stirpes, q̃ quodcunq; aliud est, natura fertur, cum multa uelut homini inuideant, illiq; insidias instruere, & necem parare dignoscantur? An omnia quidem parent, & iugum hominis agnoscunt, & si quæ repugnare uidentur, tandem profectu temporis imperio cedunt, ut in animalibus patet: quæ ab homine cicurantur. Est enim homo optimum animantium cunctorum, unica in terris origo cælestis, & diuinitatis imago. Semper autẽ natura quæ subtus & ignobilia sunt, propter meliora disponit. An uero omnia quidem (ut Hebræorum doctissimi quiq; uolũt) propter seipsa creata sunt, subsecutum uero est ex accidenti & secundaria quadam naturæ consequẽtia, ut nõnulla in hominis seruitia cederent. Vnde nec solem nec lunam nobilissima corpora & animis præstantissimis prædita (ut Gal. & philosophi uolunt) unius homuncionis causa, summus ille opifex rerum condidisse reputari debet. Sed cum ad ornatum mundi cæliq; creauisset, quia bonitatem omnem excedẽs illa bonitas, sterilis manere non poterat, nec quicq̃ aliud æque ut bonũ: sui ipsius diffusiuum & fœcũdissimum est. Secuta inde est orbis illustratio, & noctium dierumq; singularum distinctio, ad hominum usum longe adeo conferens. Sic nec pisces undarũ famuli ideo creati sunt, ut escas homini præberent, & deuorarentur, sed cum facti essent, ut ceruleos fluctus incolerent, contigit, ut apotentiore imbecilliores caperentur. Atq; ob id for-

ob id forsam cōtēdit Epicurus, nec oculos ad uidendū, nec aures ad audiendū fuisse creatos, nec alium deniq; sensum propter suas functiōes, (quia fuerūt sensus antequā sensuū munera aut sensatio fierent) sed productis illis consecutum esse (ueluti annuētibus diuis nec repugnātibus) ut usus sequeretur. Pari modo natura ipsa diuinæ prouidentiæ instrumentum: multa in alios usus facta, ad alias utilitates cōuertere & transferre cognoscitur. Ut cum lingua ad percipiendos sapores facta, ad locutionē & dialectos abutitur, uel cum aerem & fuliginosa excrementa, quæ à corde per pulmones ad extra referuntur, ne inania & in cassum redirent, uocis concinnandæ materiam esse uoluit. Aut cum aerem qui ad cerebrum fertur, ad odores & defluxionum à cerebro expurgationem: etiam ex consequenti utilem accepit. ut artifices qui obseptas fistulas spiritu oris uehementer impulso, expurgare consueuerunt.

3 Cur cætera animantia in suo genere unicam persequūtur uoluptatem, homo autem uarijs & multimodis uoluptatibus capitur? An quoniam instinctu quodā naturæ ferūtur, cuius opus (ut aiunt philosophi) ab intelligentia non errante dispensatur, & ad unum quippiam dirigitur. Itaque trahuntur illa, sequunturque uel inuita ducem naturam, & aguntur potius q̄ agant. Homines autem ratione & arbitrio uiuunt. quod cum in alijs atque alijs pro morum consuetudine sit diuersum, ideo suas quisque sequitur uoluptates. Verum omnium uoluptatum bonarum uir studiosus canon est, & norma, cui quod uidebitur iocundum & uoluptuarium, id & bonā & honestam uoluptatem reputare licebit.

4 Cur Germani & qui loca frigore algida incolunt, quāuis uiribus & corporum magnitudine præstent, minimum tamen rationis obtineant, ut nullum pene cum ratione usum uel cōmertium habere uideantur? An quia calentiores sunt: quod ad stultitiam illorum facere plurimum possit. nam calor: insanias, deliria, & dementias efficere est natus. & Hippocratis filij non aliam ob causam q̄ quia multo calore feruerent, à comicis ut moriones derisui sunt habiti. An quia multo humore intus abundent, sanguinisque & carnium turba scateant, & excrementitio plurimo sint referti, quod discuti ob ambientis frigidam temperiē non possit, ut multo cœno submersa mens nequeat, quod sanum est, recto iuditio peruidere. sed in quodcunq; impetus atque libido iussēre, prona defferatur.

5 Cur Amazonum populi mares inter se natos de articulant, luxatosque reddunt, dum articulos nexusque quibus ossa committuntur, suo loco dimouent? An ut ne defectionem parent, aut fœminis imperent, sed imbelles ob inertiam reddantur, uni semper assidentes loco, & coriariam aut fabrilem aliquā artē exerceāt, illæ autem cū uirilia sapiant, res tenere uolunt: masculisque & pro maritis mancipijsq;

dum ta-

dum taxat abutuntur.

6 Cur Homero & Hesiodo antiquissimis & omnium optimis uatibus homines alphæstas nuncupare placuit? An quasi dixeris inuentiuos: quia hominum industria artes adinuenit, quarum ope hoc uitæ breue tempus quod uiuimus elegantius instruere possemus: penetramus in terræ uiscera. piscis qui uel sub imo gurgite natat, nostram non fugit necessitatē. alitem quæ præpete uolatu cælo se condit, aucupio uenamur. et pennatam uolucremque auium reginam aquilam consequimur. delphinum maris incolam undarumque alūnum (qui piscium omniū perniciosissimus per mare sagittæ instar uolat) retibus implicantes cursu præterimus. Atq; hæc omnia artis ingenio. Pari rōne musæ à mosæ (quod inquirere significat) dictæ sunt, quia quærendo uestigandoque literarum studia inuenta & aucta fuerunt.

7 Cur philosophi maxime proprium hominis esse putant cōtemplari? An quia inditium ex sensuum dilectione capiunt, quippe eos omnes plus diligūt sensus, qui plura scire faciunt, ut uisum, ꝙ plures rerum differentias ostendat. An etiam & hoc pueri plane demonstrant, qui tantum fabularum auditione tenentur, ut totos interdū dies (si sit qui narret) desidentes audiant, quāuis nudam dum taxat cognitionem sequantur. Ex quo non uulgarem coniecturam futuræ in posterū uirtutis, & ingenuæ cuiusdā indolis sollertes faciunt, si pueri mox fabulis cognoscendis adeo delectentur. An quia cæterarum uirtutum in quarū seminibus tota uita hominis negotiatur, quædam uestigia in cæteris animantibus reperire est. Non nulla nanque eorum artes quasdam faberrimo artificio exercent. Mellationis opus peragunt mirando ingenio apes. Prouidæ nimis formicæ cauent, ne hieme ueniente præmat inopia. nent fila tenuissimo stamine aeriuolantes arachneæ. tepidos petunt grues secessus: lapillos ore gerentes: quibus proiectis sentiant, an ne super terras, an super æquora uolent. Sunt rursus in ijs quædā audētia, quædā fortia, quædā liberalia, pudibundus anser, est pia in parentes ciconia, leo fortitudinem ostentat, est superbum & arrogans animal iubarum pulchritudine equs: qui nunquam cum asina coire uelit, nisi turpitudinem suam detonsa iuba, ad fontis limpidum speculum recognoscat. Aliorum præterea proprium munus est natatio. alijs ut onera gestarēt natura indulsit. alijs præpetes uolatus: nonnullis pedum celeritatem. Hominis uero peculiare maxime opus est, non ut solem & astra sublimi aspectu intueatur, non ut cælum carneis defixis oculis spectet: (quod pisces quidam, & aues cum colla sensim retro detorserint faciunt) sed ut diuina entia, quæ uenerabilem dignationem maxime sortita sunt, aßidua mentis indagine contempletur. quod si perpetuo facere posset: nihil uitæ obturbātibus negotijs, nihil obstaret, quo minus beatissimus prorsus

ſus cenſeretur. Nam ſi corporeis luminibus uidere ſuauiſſimum eſt: animi ſenſibus acute perſpicere quàm admirãdum eſſe (inquit Ariſtoteles) putemus? An uero quia contemplando homo deo quàm ſimilimus redditur. Nam (ſi quicquã de ijs que ſunt ſupra nos pronũciare audenter oportet) nihil aliud quicquã dij agunt: quàm meditãtur. Virtutes ſiquidem alias: quibus homines cenſeri ſtudent immortalibus ſimiles, deo aſſignare lõge abſurdum eſt. Verſantur enim eæ circa affectiones: & ex pluribus ſimilibus actionibus: & non tam per doctrinã: quã ex proba educatione generantur. Diuinũ autem impatile eſt: & nec per mores bonos: aut honeſtam cõſuetudinẽ dij fiunt ſtudioſi. Quin & uirtutes habitus eſſe electiui traduntur, electionẽ appetitus conſultiuus præcedit, conſulimus autẽ de ijs quidem quæ in nobis ſunt, ſed quorum tamẽ eſt incertus euentus. Deus autẽ & deo quæ contiuuo mentes aſſiſtunt: cũ eas ne quicquã lateat: nec conſulere nec eligere poſſunt, ſed diuinæ cuidã contemplationi eas (ſi licet) ſemper incumbere fas eſt. ex qua nec ſatiẽ cõcipiant, nec fatigẽtur. tũ quia organo corporeo non agunt, quod labaſcere in opere conſueuit, tum etiam quia perfectiſſimũ intelligibile: non excedentis ſenſibilis modo corrumpit, ſed indies perficiat intellectum. cum nunquã totum ex integro capiatur. Contemplamur igitur, nõ quatenus homines ſumus: ſed quia diuina quædã in nobis portio & particula eſt. Hoc tantum uiciſſim intereſſe uidetur, quia illi nunquã non agũt, quod nos interdum ſolemus. Ignorare porro non decet quod non quarũcunque aut humilium rerum ſed diuinarum cõtẽplatio dici meretur, ex harũ nãque ſpeculamine theoriæ nomen apud græcos deriuatum eſt.

EORVM QVAE AD PHYSICEN pertinent. Sectio ſecunda.



CVr Solis & Clymenes filium Phaetonta, petitos precibus currus cõſecutũ, cum male per æthera ageret equos, deuiuſque à Phœbi tramite orbitaque aberraret, paternaſque temere impelleret rotas, traderetque terras incendio, mythoplaſtæ fabulantur, à Ioue præcipitem datum in fluuium Eridanum, proſpiciente, ne totus conflagraret orbis, aut aliqua cæli pars arderet, quem cum plangerent Heliades ſorores, fletibuſque rigarent ora, in populos candidas deorum conſilio fuiſſe conuerſas, quarum diſtillantes lachrymæ, in flumen ſubiectum, ſuccinum helectrum ue puriſſimum fiat, quod ſi legas, ditiſſimus euadere poſſis. Abſurdũ enim quin potius impoſſibile hoc eſt, ut Phœbus ipſe currus nonnũquam regat, atque moderetur, nonnũquam ſeu feſſus deponat, ſit quãdo alijs

habenas

habenas, curamque illustrandi mundi concedat, atque remittat, uel ꝙ aliquãdo à uia recta diuertatur? An cometes quispiam, unusque ex crinitis sideribus, fuerit nobis hic Phaeton. qui cum plusculos menses, nedum dies, indissoluti integriq; permanere in aere uisantur, & consistere consueuerint, si quando dissipari, soluique contingat in auras, siccitates, squallores, immensus intoleralisque feruor, qua parte uis ea sese diffudit, consequantur. Atque cum tandem non amplius crinis appareret, cessaretque immodicus ille calor per æthera diffusus, Ioue fulmen eiaculante, cõflagrasse crederetur. Nam nedum calores, sed & tabes, & pestes mortiferas, & tempestates, co matas stellas efficere posse, satis constat. multaque tum signa tum inditia futurorum ex cometarum motione percipi, Porphirius grauissimus auctor testatur. Nãque (inquit) si ad austri partes deferuntur, pluuias dabunt. si ad aquilonias borealesque cæli plagas tendant, siccitates denotant. si ad occasus præcipitentur, egregiam anni constitutionem temperaturamque futurã portẽditur. Sin ad ortus prorumpant, pestes, luemq; tabesque, quibus ne quicq; manum medicam admoueas, pronunciant. Sic igitur Plutarchus chæroneus inter multa ostenta quæ narrat quæ diram Cæsaris cædem: qui primus orbis monarchiam tyrannidemque est adeptus præcesserũt, igneos scilicet uisos fuisse homines uolitantes, soliuagas aues in medium forum dilapsas, é famuli cuiusdam hominis militaris manu, ignis flammam erupisse: sed mansisse manum illæsam. uictimam quam Cæsar ad aras mactabat corde carentem inuentam, solem pallidum toto eo anno post eius obitum, nulloque fulgore emicantem, aut nitidum iubar habẽtem emersisse, ut nec aeris crassitiem dispergeret, & fructus tepiditate destituti semicocti producerentur, moxque deflorescerent, & conciperent marcorem. tandem per septem continuas noctes ab eius morte ingentem quendam uisum conspectumque fuisse cometem constanter affirmat. ut cuicunq; intelligere liceret, non fuisse deorum uoluntate peremptum, cum eodẽ se Cassius gladio: unus ex uiris coniurationis, ad Philippos campos iugularit, ab Antonio superatus, quo antea Cæsaris latus perfoderat. An uero naturalius adhuc insistere fabulamento licet: si intelligamus nubium quasdam consistentias, à sole erigente in altum sublime ue eleuatas, & tam promptas accendi, ut Phœbeis incumbẽtibus radijs, solis lumina perpessæ, mox concipiant flammas, & exurantur, atque in suppositum solum decidentes, omnia perurant, & ignibus deuastent, quo ad torrida uis illa perdurarit. Sit igitur Phaeton nubes illa arida, igniumq; tenax, quæ à sole ignita, magno impete iactata prociderit, terrasque exusserit. Hunc itaque primo solis perhibent natum, quia calore solis fuerint illæ exhalationes eleuatæ. Masculũ autem proponunt, quia actiuus maxime & operosus ignis est (quem ob eam rem ue teres

teres theologi formam & speciem, mareq́ue, ut tellurem contra fœminam & materiã cognominãt) Quia uero nõ coalterno solis circulo proruperit nubes illa, cũ discussa pelleretur in terras, ob id ab itinere deuiasse Phaetonta finxerunt. Et quoniam Phœbeis radijs exarserit, fueritq́ue turbinis instar deuoluta, fulmine perustum sibi fingere permiserũt. deinde cum cessasset, nec amplius moles illa disiecta perureret, à Ioue fulminis ictu extinctum cõmentantur. Et tandem quia siccitates diuturnas & æstus immodicos pluuiarum multitudo consequi magna ex parte consueuit, fleuisse & deplorasse sorores acerbũ fratris interitum, mythologi sunt fabulati, quas etiãnũ solis natas dixerunt, quia utrasq́ue exhalationes tam arescentes & siccas, ex quibus ignes, q̃ humescentes & madidas, ex quibus imbres proueniunt, sol suscitat, & erigit, uentosq́ue idem nonnunq̃ cõmittit, & cessare interdum facit, secundum q̃ materiæ dispositio patrocinatur, ut Aristoteles ait. An uero Platonis secretiores aditus ingredi oportet, ut huius fabulæ solutione abundemus. Triplicem nãq́ue animarum distinctionem tradunt, quasdam, quas nunq̃ tan dira cupido inuaserit, ut ad generationis loca descenderent, sed apud superos & confinia sidera, & deos qui illis præsidẽt, semper permaneant, nec quicq̃ desiderio teneãtur, ut in imas has: & tetras, & caligine nigra obsitas terras deueniant: esseq́ue quosdam (ut sic dicamus) deorum præcursores: seu potius asseclas: & comites æquo passu incedentes, perinde ac satellites stipantes dominorum latus, atq́ue has deorum filias nuncupant. alias autem esse aiunt, quæ & si in sublunarem hunc orbem deuenerint, nihil illis tamen terrenæ fæcis adhæsit, sed puras & immaculatas ab omni labe & contagio corporis sese præstiterunt. has & deorum & hominum filias appellant. tertias esse diffiniunt, quas ubi libido incesserit in corpora demergi, in generationis & corruptionis mutuo sese consequentium, regiones adiuerint, & nonnihil de uitijs corporeisque passionibus & crassitudine fœditateque materiæ (quæ ipsa turpitudo existit) contraxerint, & pollutionem subierint. hasque item non minus deorum filias uocitant, sed nothas & spurias, quæ genuinam pulchritudinem perdiderint. Esto igitur Phaeton una animarum particularium in generationem descendens, quæ solis ideo progenies dicatur, quia nõnullas animas Iouias, alias Martias, alias Solares, alias Lunares, alias Saturnias eße uolunt, secundũ q̃ horum uel illorũ deorum illis præfectorum naturam potestatẽque referunt. Quid nãq́ue miri est, si trahãt aliquid animæ adijs qui illis præficiuntur atque præsunt? cum & distantissimas plantas, & herbas, & animalia etiam quædam, & lapides superiorum quorũdam peculiarium siderum uires & facultates efficientiamq́ue gerere conspiciamus, ut has solaris eße uirtutis, illas lunaris merito dicere possimus. refulget atque emicat in loto uis solis haud

lis haud dubie, qua & uim sideris sentire, atque cognoscere uidetur. oriente nam sole explicat & pandit folia paulatim, ita ut cum ad meridiem sol accessit, tota iã patula aperiatur. At cum ad occasus abit: atq; recedit Phœbus: tũc iterũ recludit & abscondit frondes, & in unam ueluti molem sese colligit. circumagũtur tota die maluæ folia, solemq; prono uertice sequuntur: & solis beneficum sidus quà possunt, salutant & uenerantur, ex quorum statu & conuersione, horas nubilo cælo, ante & post meridianas agricolæ comprehendunt. Pari pacto heliotropiũ ad solis semper radios conuertitur, unde & inuenit nomẽ. Helites lapis solem quoque aureo splendore emulatur. selinites lunæ in cornua curuatæ, sinuosa figura naturam reddit. Lunæ uero solisq; coitus in uno Helioselino lapide non obscure dignoscitur. est & in gallo atque leone uis manifeste solaris, sed maior gallo: cuius uoce exaudita, mox fuga sibi cõsulit leo. Quis igitur neget aĩas ijs uel illis diuis præsidibus (quos Ephoros dicunt) atq; sideribus, ubi per infinita temporũ spatia permanserunt, affines magis esse atque congeneres? Sic itaq; filius solis Phaeton diceretur, propter hãc quã diximus affinitatem, quia scilicet eßet de sorte ordine ue solari. Porro quod ad fulmen quod in eum fuerit conuibratum attinet, hanc habuisse rationem potest, ꝙ animæ cum descendunt, ut petant corpora, tunicas quasdam igneas secum trahant, & præcipue quæ inter eas sunt nobiliores, & longe præstant, quas tamen nonnunquã in media aeris regione deponant, aliasque induant craßiores: nonnullæ etiam ad tellurem usque ipsam deferant. ignobiles autem & curuæ, aereas, uel terreas, uel aqueas, & quasuis denique potius uestes quibus uehantur, assumunt. Sororum uero illæ lachrymæ hoc est animarum quæ eandem solis regionem inhabitant, solarique potestate pollent, non tam misericordiam, ꝙ corporum amore captus dilaberetur, uel ꝙ in sedẽ hanc tenebrarum insinuans sese commigrarit, indicant. sed prouidentiã quãdam, qua consortibus & contribulibus suis prospiciunt, ut inter ea quæ uicissim & gignuntur, & intereunt inuolutæ, atque implicatæ animæ, sic corporum & rerum diligentiã faciant, ut ipse illibatæ incolumesque nulla cõtracta sorde euadant. Eridanus uero fluuius, qui labentem Phaetonta exceperit, nihil aliud ꝙ lationẽ lapsũq; animæ in hunc generationis pontum gurgitemq; demonstrat. Iam uero Plutarchus refert in una quadam insularum apud Britanniam quæ sacra putaretur, ubi subita tẽpestas exorta eßet, aut repentinæ pluuiæ ingruerẽt, aut Iupiter tonaret ex alto, dicere indigenas solitos, peritos in ijsce rebus, longoque usu assuetos, ꝙ meliorũ quispiam defecerit. uocant autem meliores, animas illas præstantissimas (qualem inesse Phaetonti sermo insinuauit) quæ ubi proprij corporis gubernacula remittant, generationemq; relinquant: hos tantos in æthere motus cieri atq; agitari, homines illius

regionis

regionis credunt, sibiq; persuasum habẽt. Pari igitur exemplo descendentibus in corpora animabus, tale quidpiam accidere, & præsertim ijs quæ ingenuæ sunt, & nobilitate præstant, meliorique temperatura (si sic fari liceat) & crasi constãt, desperandum non est. Quas maxime ad tyrannicam uitam duci fabulæ crediderunt, ꝙ diuis assuetæ cõuersari, & cum illis simul uniuersi clauum disponere, etiam hic ad apparentes currant potestates, & dominandi ambitione cuncta agant, & patiantur. ut quæ intelligibilis pulchritudinis memoriam agunt, facile formositatem quæ in rebus hijsce apparet, arripiunt, atque consalutant. Obliuionem tamen subire, fierique tum immemores animas arbitrantur, cum aut per longa tempora apud nos extorres permanserint, aut nimis adeo in generationem fuerint demersæ.

2 Cur interitus & abolitiones rerum in orbe hoc generabilium & corruptilium contingunt? An propter asymmetriam improportionem ue siderum & superiorũ corporum quibus in uita gubernamur, & machina hæc ne ruat, & pessum eat, continetur. Vt cũ sit Martis uirtus diuisiua, si quis sufficere & par esse possit, ad uim illam ferendam, hunc tuebitur atque cõseruabit, eum qui impar sit, oblædet. Perinde etiam ac si quis solem intentis oculis & incõniuentibus intueri sustineat, hic uitales & uiuificos Phœbi radios decerpet, quibus uitam prolonget. at si media in luce (quod luciosis contingit, qui malum quod nyctilopem dicunt patiuntur) caligauerit, nimioque fulgore præstringatur, non adeo salutẽ sed damnum, si insolatus fuerit, percipiet. An uero non tam propter incommensurabilitatem corruptiones eueniunt, sed quia figuræ & schæmata, & loca, & perinde etiam qualitates siderum permutantur & peruertuntur, quæ uel saluandi uel perimendi uim habent. An quia sic fieri diuina dispositio ordinarit, ut in melius reformarentur: & pulchriori specie renascerentur. Nam omnia pereundo seruantur, & cuncta de interitu restituuntur. semina ipsa nisi corrupta & dissoluta, fœcundius & fœlicius non surgũt: & lucem cotidie interceptam splendere fulgenti rursus lumine uidemus.

3 Cur cum multæ corruptiones & uastationes plerisque in partibus terrarum passim euenire cernantur, semper tamen homo, semper tellus, & elementorum singula, & deniq; species ipse incorruptæ permaneant, nec unq; tam ualida ingruat fortunæ tẽpestas, ut omnes homines uel omnes equos dissipare ex integro queat? An quia ita mirifica dispositione naturæ ordo stabilitus & comparatus est, ut alterantis partibus tota illæsa perseuerent, & suum ordinem & datam stationem obseruent. Nã alterũ horum contingere summa & omnis necessitas cogit, ut scilicet uel tota & partes habeant secundum naturam: uel utraq; præter naturam: uel ꝙ partibus in naturali dispositione constitutis: tota male afficiantur, uel totis naturam

seruantibus

seruantibus: partes nunc præter naturam existant, nunc secundum naturam, quod si tota & partes secundum naturam semper se habere uelis, peribit generationis uarietas, illudque etiam dictu absurdum consequetur, ut prima entium sempiterna: ultima & postrema omnium euadant, & efficiantur. Simili modo si præter naturã utraque affici ponas: generationis circulus neutiquam saluabitur. cum nihil constans & stabile sit: quod mutabilibus rebus: quæ continuam mutationem subeunt, similiter se habere concedat. Denique partibus recte habitis & affectis: ut tota naturaliter non disponantur, ineptum non solum est: sed etiam ex ijs quæ fieri nullis machinis, aut artibus possint. nam partes: ipsa tota cõsequuntur, & tota sunt collectiua suarum partiũ. nec enim nostro animali moto, & proprium ordinẽ amittente, ut remaneat aliqua pars, quæ ad totius motũ nõ cieatur, uel fines suos non excesserit, fieri fas est. Relinquitur ergo ut partibus modo à natura recedentibus, modo naturã seruãtibus, tota ipsa semper & usque quaque genuinam sibique debitam constitutionem tueantur. Pluris uero emeret atque mercaretur, nimiumque cuperet ipsa natura, ut partes quoque in æternum perdurarent. sed cum simul cum uniuerso perpetuo esse non possunt: nec pariter cum eo rem gerere sufficiant, fit ut ex rerum substantia repellantur, quibus omnino saluationem uniuersitas non inuideret, si ipsa ordine non corrupto simul sese protendere ullatenus quiuissent. Nec uero peruersas & degenerantes, ut maneant & persistent in orbe, possibile est. nam cum ordine careãt, mox ut corrumpi cœperunt, omnino uilissimæ sunt redditæ, nullumque habent honorem: quem tamen non habere non possent: si in mundo permanerent. Deinde cum generatio & obitus propter figuras seu configurationes cælestes contingant, hæ autem nil aliud quam simulacra & imitamenta sint diuinarum notionum, notiones autem ab intelligilibus speciebus dependeant, à quibus ad species mundanas stabilitas & continuatio deriuatur. ob id propter immobilem diuinarum illarum specierum processum, semper simili modo rationes mundiales, quæ sunt in uniuerso, consistunt.

4 Cur oua in orbẽ curuata: marẽ, lõgiora autẽ: fœminam edunt? An quia illa æquabilem calorẽ ostendũt, qui per omnes partes æqua se portione diffuderit. turbinata autem ob impotentiam calidi talia erupisse uidentur.

5 Propter quid non nisi per longa tempora, & ex longissimis interuallis magnæ quædam & subitæ corruptiones (quæ affatim fiant) euenire cernuntur? An quia multa nimis cõcurrere & coire oportet, ut talis quæpiã corruptio cõtigat. Nã & patiẽtiũ habitudinẽ tũ cõmunẽ tũ priuatã, & agẽtiũ causarũ cõspirationẽ, ne quod una corrũpit, alia ĩpediat & saluet (quid enĩ si quod unius corruptiuũ sit, alterũ cõseruet?) & tẽporũ opportunitatẽ, & ĩstrumẽtorũ egregiã apparationẽ & materiæ

aptitudinem adesse par est: quæ omnia in particularibus facilime, in communioribus difficulter & raro: corruptionibus conueniunt, & in unum coeunt, quod iustissima ratione fit. Nam ab eo quod corrumpi non potest, ad facile corruptibile, ut fiat trãsitus, nisi per difficulter corruptilia, operæprecium non est: sed cum tota nunquam corrumpantur: partes temere & passim internitiones subeant: restat, ut cõmuniores corruptiones, quæ uel per pestes per populum grassantes, uel fames, uel cõcussiones, uel inundationes, uel ignium exustiones fiunt, raro & difficulter eueniant, dum scilicet per lõga interstitia causæ remotissimæ, & disparatæ, longeq́; dissitæ, mutuo in unã actionem concursant. quod dum accidit, fortunæ nonnulli atribuũt. cũ hæc nil aliud (ut Proclus & doctissimus quisque astruit) quam angelus sit, uel dæmon quispiam, uel anima in id munus delegata, quæ causas disiunctissimas in unum opus componãt, atque promoueant. Sed cũ rarenter licet, populares & cõmunes illæ deuastationes cõtingant, eueniunt tamen nonnunquam. Nam & gẽtis, & urbis, & nationis per inde ac uiri unius, periodi sunt quidam & certi limites durationis constituti, quos præteriri & transgredi nulla ars sit. quidam longiores, alij breuiores inquit Aristo. ita enim rerum natura fert, ut nihil ortum sit, quod non aliquando occidat, ut non temere dici soleat, circulum esse rerũ humanarum assidua rotatiõe sese uoluẽtẽ, & modo quos superiores habebat, deprimẽtẽ deorsum, modo autem qui erant inferiores, sursum deducentẽ. sic Assyriorum, Chaldeorum, Parthorum, Medorum, Græcorum, Macedonum, Romanorum imperium & potestas interijt. Enimuero enim ut singulorum hominum, ita & nationum, diffinita quædam ætas est, qua cõsumpta, tota gens perit. non aliter ac Socrates & quilibet singularis homo, ut Glaucon uel Aristippus senectute defecerũt & extincti sunt. solus est Christianus senatus: quem dominus nunquam aliò abiturus sibi, in æternam hæreditatem assumpsit.

5 Cur cælum genitum nonnulli, alij ingenitum contendunt? An quia genitum quidem est, quatenus à primo omnium auctore deo, qui illud in entium sorte conseruat, continuo dependet. Nã cum finiti cuiuscunque limitatique corporis, finita & circunscripta etiam certis terminis sit uirtus: ut Aristote. docuit, hinc fit, ut infinito tempore mouere se, & suos conficere orbes cælum non possit, nisi talem uim assiduo recipiat. quam quia totam simul, affatim & è uestigio complecti, & in sinus suos reponere nequit, merito indies, quoquomodo generatur, quia semper eget, ut is illabatur influxus: ut in temporis æternitate agitationem peremnet, & perpetuo ut contineatur, uirtutem exposcit, ne à latione desistat, & interitui cedat. Ingenitum autem ideo appellatur, quia (ut aiunt) non habuit principiũ sui ortus: ut oĩs eorũ qui non temere omnino sunt philosophati, schola cateruatim

ternatim omnibus conferentibus calculum, asseuerare uisa est. quare inter se prorsus nō conuenire putandi non sunt, qui genitum affirmant, & qui id pectore proposito negant.

6 Cur diuus Plato cum elementis loca distribueret, igni sedem & regionē propriam dare prætermisit? An quoniam ipsius sub orbem lunæ statio non est, quæ si aliqua esset, cum ipse cæteris, ut uisibilia sint, & conspiciantur, impēdat, ipsum utique uideretur, nec quicquam ab aere, longe dissimili existente, quominus ad nos eius species permearet, extingueretur. Vnde nec ignis elementum usquam est ullū & totū, integramque consistentiam & cōstitutionē obseruās. Sed qui apud nos ignis habetur, materialis, generationi & interitui obnoxius est, & ab aere quem in propriam substantiam cōuertit, alimoniam sibi mutuatur. in ipsius uero aeris supremi & cælo cōtigui poris atque meatibus, qui propter affinitatēætheri simillimus est, ut eiusdē extimæ partes limphæ uicinæ, laticis naturam referunt: sunt quædam ignis minutissimæ portiones passim interfusæ, qui quoniam adeo dearticulatus non est, & tenuissime diuisus, uisum ideo latet. Si quod uero ignis elementum est, hoc in cælo collocare decet. Quod & ipsum ex quatuor elementis constare omnino fateri oportet: non utique ex grossitiæ & crassitudine illorum, sed ex summitatibus & eminētijs. quod & Hebræorū uetustissimi opinati fuisse uidentur, qui cælos Samaim: patrio gentis uocabulo (quod ignē & aquam sonat) appellauerunt. Nec enim umbras ex se ad superiora: astra remitterent, nec obtutus quominus ultra progrederetur, refirmarent, nisi telluris soliditatem & renitentiam sortita forent. nec rursus conspici possent, si ignē in cōstructionem non admitterent, cuius officio omnibus illustrationis (ut cernantur) usus præstatur. Nam nec igni naturalis crematio & combustio est, sed ut uisibilia omnia faciat, quibus immiscetur. nec rursus telluris proprium munus est, grauitatem dare, sed firmitatem & soliditatem. nec ignis iterū peculiare opus est, ut sursum tendat, sed eius qui in materia submersus iacet. Est itaque in cælo ignis quædā portio, quæ illum conspicuum facit. est terræ quoque sua particula quæ stabilitatem præstat. est aquæ nonnulla pars ad partium cōiugium & unitatem optimam accōmodata. est denique aeris uapori quàm simillima portio, quæ illum transparens & undique perspicuum & conspiciendum reddit. Sed nec omnino prorsus ab hac sententia alienus Aristo. putandus est, qui quod sub cælo substat, pyroides, id est igneā formam referens uocat, nam cum hij omnes particulares sint ignes, & quod igneum est, ignis non sit, locū quendā sepositū (qui alius à cælo esse non potest) in quo ignis elementum, non secundum mutationem continuam, sed secundum substantiam consistens, sit reponendum, omnino apponere cogetur.

7 Quare est quod duo hæc elementa, ignis & aqua maximarum ut plurimum corruptionũ sint causæ, terra autem & aer non ita? An quia hæc cognata & affinia nobis sunt. nam & super terram, pedibus ingredimur, & aerem continuo respiramus nobis familiarem: in eoq́; uiuimus. Vel quia ignis actiuam ualde, & uehementẽ qualitatem obtinuit, quàm aut aer, aut terra. aqua uero bene mobilis est & propterea non difficulter subintrans, & crassior est quàm aer, adeo ut non protinus prompte patiatur. aer autem & si de facili mobilis, non tamen difficulter exoluitur. terra autẽ sua grauitate immobilis persistens, nõ potest alterare corpora. An uero id in causa putandum est, quod ignis & aqua non ipsa prius affecta, sed uiribus integris nos afficiunt. aer uero prius putrescit, & patiatur, quàm pestes afferat. terra prius ipsa dehiscit & finditur, quàm subito homines deuoret. Quia igitur illa simul quod patiũtur, & priusquàm in nos agant, remittantur. ignis autem ingrediens, aqua propellẽs, in nos operentur. hæc quidem propiori exitio sunt: illa minus dãnosa. An quia ignis & unda qualitates actiuas in summo obtinent, hæc uero patibiles.

8 Cur qui altiora loca incolunt, facilius pereunt, quàm qui humiliora & uicina mari? An id uerum absolute non est, sed de corruptione quæ accidit propter siccitates, & exustiones, aerisque ardores, haud quaquàm est dubium, quin ita contingat, quia non possint illuc anathymiases seu uapores ab aqua eleuati pertingere: propter grauitatem deferentem. Contra autem euenit: quando terras alluuione & cataclysmo baptizari & periclitari contingit. ij enim ocyus pereunt, qui in locis humilioribus degunt.

9 Cur inter terram & ignem: aerem & aquam summus ille rerum opifex media collocauit, cum unico medio potuissent fuisse ligata? An quoniam corpora sunt solida, quæ non nisi duobus medijs connecti tempus est. (ut Plato est philosophatus) Quod in numeris cõstat, in quibus qui plani & superficiales sunt, uel uno tantum intercepto medio copulantur. ut nonus & .16. duodenario. & .18. & .32. uigessimo quarto. qui aũt cubi aut solidi appellantur, duobus indigent omnino medijs: quibus ceu arbitris intercedentibus inter se coniungãntur. ut. 8. & . 27. tum duodenarius, tum. 18. numeri cõmittunt. Et. 24. & .192. quorum alter solidus est ex binario, ternario, & quaternario, alter item solidus à quaternario, senario, octonario, hijs duabus copulis, scilicet quadragessimo octauo, & .96. ad inuicem ferruminantur. Si qui autem numeri & cubi fuerint pariter & quadrati, unum & duo media obtinuerunt, unum quatenus plani, bina, in quantum cubicam rationem habent. An quoniam tot fore numero elemẽta operæ pretium est, quot sunt primæ agentes qualitates, quotque earum possibiles permisceri sunt paritates.

Scholium

Scholiũ. Non absolute accipiendum est, quod hic dicitur: Quadratos nũeros unico tãtũ nexu cõiũgi, sed ita intelligi debet, ꝗ illis uel unum tantum medium ceu uinculum quoddam sat sit, ut connectantur. Nam si inter eorum numerornm radices fundos ue: nullus terminus intermediet, unicã dũtaxat copulam nnmeri tetragoni habebunt, eam scilicet quæ ex ductu unius fundi in alterũ cõficitur. Si uero inter radices proportio intercedat, duo quoq; uincula eos numeros colligent: quæ ex ductu extremorũ in medium terminum: ipsiusq; medij in seipsum prouenient. ut nouenariũ & decimum sextũ duodenarius dumtaxat copulat. quia. 3. & . 4. illorum auctores: nullo medio coniunguntur. 16. autem & . 81. quadrati à nouenario & quaternario, tum. 24. tum 36. & quinquagessimo quarto interse coeunt: ꝗ radices senarij interceptione conueniunt. quãꝗ & hij ipsi trigessimo sexto abunde copularentur, qui ex tractu unius radicis in alteram consurgit. Vtrobiq; enim dupla sesquiquarta proportio reperitur.

10 Cur ignis elementum in suo loco naturali positum, tamen assidua uertigine raptatur? An quia omne quodcunque in sua sede collocatum est, uel ex toto quiescit, uel circulo fertur. quo motu, quãuis partes situm permutent assidue, totum in eadem statione perstat.

11 Cur magnus aliquando lapis cælo dilapsus fuisse potest? An quia defluxiones siderum aliquæ cælestiumque corporum, quæ (ut putat Anaxagoras) grauium & frigidorum mixtura constant, sed primi orbis rotatu à casu prohibentur, maiore ui impellente ruunt, & præcipites aguntur in terras. An quia igneus quispiã globus terrea mole grauatus, crassitiemque concipiens, magno impete procumbat, atque deferatur. An quia aeris cumulus amplior collectus, dum conuerti in ignis orbem gestit, longe præcipitatur, & tanquam ab hoste contorquetur atque eiaculatur. An ocyus quia uentis hinc inde magno tumultu flantibus, excelsorum montiũ portio aliqua absrũpatur, quæ turbinis modo ĩ cælũ sublata, rursus iactetur, & pessum feratur. Vnde nunꝗ lapis cælo ingens cecidisse dicitur: quin aut crinitum comptũq; sidus, aut ignita nubes, aut ignes quoquomodo per æthera discurrẽtes, per multos ante dies apparuerint, quæ in flamina copiososque flatus abeuntia, atq; dissoluta, tantos excitare uentos potuerunt, ut à rupibus præcelsis, quales multæ uel cælum tangere cacumine uidentur, petram abscinderẽt. Nec cuipiam mirum uideri hoc debet. Nã uẽtorũ uis tanta, ut nisi clausos AEolus carcere duro coherceat, quassare rates, medio in mari naufragia committere, nauigia demergere sub gurgite, ingentes stipites sternere, diruere mœnia, pontum peruertere, fretum ponere uel tollere, & aluo telluris conclusa mundum temere concutere, & denique omnia rapere secum passim & impune conspiciantur. & Boreas hinc adamasse uirginem

 orithiam

orithiam traditur, quia in montis uertice prospicientem deiecerit ex alto.

12 Cur magna aliqua ui agitato aere, alites superuolitãtes, nõnunq; præcipites in medios cœtus ceciderũt? An quia aer ruptus disclususque atq; diuulsus nõ præbuit auibus stramentũ, quo se sustinerent. An quia magno ictu uiolentaq; latione cõmotus: tanq; a sagitta percussas uerberauerit, atque præcipites dederit. An quia aeris unda fluctusq; in orbem iens rotatas impulerit, atque circũegerit, ut magno casu corruerent. Hinc in Panagyricis cõtionibusq; hoĩm, quò multi spectatũ cõfluunt mortales, coruos lapsos cõcidisse accepimus, succlamãtibus cũctis, atq; plausu boatuque cælũ complentibus, quales in magna turba, uulgi clamores ire & attolli consueuerũt.

13 Cur fulmina, fulgura, & grandes interdum lapides in magnum potius mare cadant, atque procumbant magis q; in alias subiectas cælo plagas? An quia magna eius pars sub æquidiali ambustaq; cæli regione supposita est, plurimumq; eius feruẽti zonæ subijcitur, cuius ignibus atque ardoribus illa proueniunt.

14 Cur cum ignis calens sit & aridus, telluri quæ mole, situ, locis, & grauitatibus, motu, maxime igni contraria est, non oppositas qualitates contulit creator? An ocius sic Aristoteles fuerit opinatus, qui tum frigidam tũ siccam dictat esse terrã. Forte autem, me iudice, probius hac in parte hũisse se Platonicos sentiendum est: qui igni partium tenuitatem, acuitatem figuræ substãtiæ ue, qua subit omnia & penetrat, & bonam mobilitatem distribuentes: tribus ex diametro (quod aiunt) oppositis, scilicet immobilitate, hæbetudine, obtusitate ue, & crassitudine partium tellurem distermināt. Inter quæ aerem & aquam interposita: illũ quidẽ tenuiũ partiũ, & hæbetem, & bene mobilẽ esse diffiniunt. hanc autẽ partium crassitie, & obtusitate, & bona latione circunscribunt. In quibus liquido est uidere: ut contraria maxime sint contraria. utque duobus medijs corpora solida copulentur. quorum mediorũ unũ quodq; cum proximo elemento duas qualitates communes habet. Vt etiam in medijs cubicorum numerorum contingit, quæ à proximo cubo finitimoque, bina singula latera, à distãtiore unum assumere dignoscuntur. ut duodecimus, & decimus octauus patiũtur, ex quibus ille ex duobus lateribus octoni, & unico uigessimi septimi: hic autẽ ex duobus uigessimi septimi: & uno dum taxat octoni cõficitur.

15 Cur Nilus æstate augetur? An quia solutus & ueluti exudãs regurgitãsq; ab imo sursum referuere & scaturire cogitur? An quia niuibus liquefactis ab AEthiopiæ ora ꝓfluẽtibus ĩcrescat. An uero neutra earũ rõnũ cõuincit. Quid enĩ ipsa faciat terræ rare factio, ut aq̃ sursũ pellãtur? & quomodo à meridionalibus terræ plagis: à quibus Nilus fluit, niues deriuari posse sit credẽdum? An quia imbres multi & torrentes ab antœcis aduersa tellure inhabitantibus uenientes,

inundare

inundare Nilũ faciunt. Nam illi non eadem simul agunt tẽpora, nec pares aut æstates aut hiemes habent. An illud quoq; huc pertinere sit arbitrandum, anniuersarios uẽtos qui Etesiæ dicuntur à græcis, cum in Luneis montibus, qui propter altitudinẽ suam hanc nuncupationem habuerũt, & inquibus Nili esse fontes feruntur: fuerint impliciti atque detenti, propter egregiam sublimitatem, ne ad ulteriora procedant, ibidẽ totis uisceribus seu ilijs atq; cauernis mõtis recipi: atq; cogi, & densari, & magnos facere aquarũ defluxus: á quibus deinde Nilus totis uorticibus impleatur.

16 Propter quid aqua calci infusa calorem illius adeo excitat, ut manu quin urat, sustineri nequeat? Vtrũ quia in calce multus calor delitescat ab ignibus acceptus, dum in caminis decoqueretur, qui per contrarij contra è regione stationem (antiparistasin uocant) ab imo in occursum emergat, & ebulliat, uigoremque acquirat, & nanciscatur, ut uiribus collectis humorem contrarium inuadat. An uero quia obstruit & occludit calcis humor meatus, ut obseptus & obseratus intus calor eferuescat, quia anhelare non detur. Perinde ac ollæ quibus si operculum apponas: mox spumãtẽ totis labris exundant, & effundunt humorem.

17 Cur cum in Britannia margarita ferat Oceanus, fusca & liuentia gignantur? An quia ut quidam arbitrantur, carent arte legentes. Nãque in rubro mari uiuentia atque spirantia saxis auelli, in Britannia uero prout expulsa sint, colligi. An uero quia deest illis margaritis natura. Locorũ enim proprietates multum rem uariare & permutare possunt. mali persici fructus in Perside esu lætalis, in AEgyptum translatus, grato sapore mensas secundas commendauit. Amat telluris uitia capparis, nec cultis (quamuis multi tentarũt) prouenire potest. ruta iuxta ficum consita, lætius atque fœlicius prouenit. & omnia iuxta regionis morem quæ sunt nata, uel deteriora sunt, uel bonitate præstant. Omnia in india maiora & meliora multo gignuntur. Atque hoc ego esse in causa facilius crediderim, quam deesse hominibus auaritiam, qui tot iam seculis nihil reliquissent intactum, si non fuisset futurus eorum inutilis labor.

LIBRI PRIMI SECTIO TERTIA CONtinens problemata de mero, temulentia, uenere.



CVr ferme omnes qui literarum sacra sunt uenerati, uino in primis dediti fuisse deprehendũtur? ut de Ennio, & Catone, & Homero, & de Zenone ferunt, qui ut lupini aqua perfusi dulcescerent, ita se mero exhilarari aiebat? An quia cæteris uoluptatibus spõte sua abstinẽtes, ad hanc unam confugiunt. An ideo uates quidem mero indulgent, quia frigidũ & humile nimis futurum carmen sperant, nisi Bacchico furore concepto, quem ue-

locem & perpetem esse equum in carmine narrant, animos diffunderent, quo grandius aliquid loquerentur, cum hærent in uersu. An quia Bacchicus liquor ad furores agitat, & uates interdum furijs correpti aguntur: cum totum deum pectore rapiunt. An quia nunquam abstrusum & conditum uerum in abdita maiestate rerum, deprehenderent, & alijs libere ederent, nisi affatim merum epotarent, quod condita aperit præcordia, & in quo ueritas est iuxta parœmiam. An quia frigidum & uetriculum, & sanguinem, ex diuturnis studiis inter uenas habuerunt, quem calefieri omnino oportet. An ij omnes tandem multā adustam atram bilē, ex laboribus quibus se in studijs macerarunt, congesserunt, cuius & caligo tetra, & crassitudo, & glacies, nulla æque re alia quam uino uincitur & expugnatur.

2 Cur multi præ cæteris sunt uini potores & aquarum pocula reformidant? An quod ij tales frigidam à natura temperaturam sunt sortiti. Frigidū autem calefieri desiderat, quod uinum maxime præstare posse uidetur. quippe quod cum feruentioris sit naturæ: celeriter uim suam exerat, & transfundat in corpus, quam ob causam tum serpentes, tum homines atrifellis algore uexati, bibacissimi, uinique præter modum sunt appetentes, nimirum argumento frigiditatis. An rursus id esse in causa assignare oportet, quod aliqui propensiores in bacchi calices ferantur, quod caliditate ingēti atque feruore bullientia præcordia habeant, calor autem etiam ijs quæ suæ naturæ sunt cognata uehementissime afficitur, pronusque inclinatur. Vnde & Alexander in uina fuisse traditur delatus (ut binos interim dies cum noctibus edormiret, quantum scilicet sufficeret, ad despumandum, & decoquendum phalernum) quē sane corporis multa caliditas, tum bibacem, tum iracundum etiam reddidisse, illud arguere potest, quod ex corpore suauissimum quid spirabat, & illius os mira quædam flagrantia continebat, & totam carnem, (ut Aristoxenus prodidit) adeo ut cuti uicinas interulas, lineasque tuniculas, (chitoniscus dicunt græci) redolētia compleret. cuius sane non alia uidebitur esse causa commodior, quam corporea crasis nimis ardens & ignea existens, quæ dum depascitur humorē putredini aptum, & concoquit succos in corpore contentos: odorem & flagrantiam commendat. Vnde & calidissima orbis terrarum loca, quia in eis sol humidum excernat, ubi per superficiem corporum se tulerit, (quod quidem materiam esse putrefactionis certum est) multa & pulcherrima aromata progignunt, ut costum, cinnamomum, piper, casias, & alia multa id genus. An uero id esse in causa existimemus, quod temulenti aliqui insigniter reperiantur, quod uinum à pueris haurire & ingerere cœperūt, quare nihil mirum si male instituti, & praua consuetudine, malisque moribus ab initio imbuti, tales per reliquam ætatem euadant, moresque imitentur, qualescunque à teneris annis imbiberunt.

Nam id

Nam id nemini ambiguum fore opinor, maximam partem uitiorum quæ tabem & perniciem, animis afferũt, non à primordijs insitam, sed inde ex educatione fuisse cõnutritam, cui quis infans assueuerit. Adeo à teneris insuescere multum est.

3 Cur uinũ alios inebriat alios nõ? An quibus caput ualidum est in quo rationis uis, tãq; in muro quodam arceq; excelsa dominatur, ij meratioribus propinationibus uti possunt. At quibus uel ualetudinis ratiõe, uel sponte naturæ imbecillum est, aut qui articulorum nexus imbecillos obtinent, aut dolore affectos, uel quoquo modo suscipere paratos: ijs nisi dilutius ebibant, & mens præuertitur, & ebrietates incidũt, & à mero offenduntur. Nec quicq; facile magis reperias, quod illis æquè ac uini haustus officiat. Vnde. Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua, & nunquam nisi potus, ad arma prorumpit dicenda.

Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Quod & epigrammate significatum est.

Ex Venere & Baccho, qui soluunt robore membra,
Filia producitur deneruans membra Podagra.

4 Cur uinum quod in medio natat, mel quod in imo sidet, oleum quod in alto fluitat longe antecellunt? An quia uinum quodcunq; in fundo subsistit, crassiusculum id fæculentumq;, & uapidum est, quod uero in summo defertur, ab aere circũstante, & potissimum si calidior sit: afficitur: & à sua natura permutatur. Vnde & agricolæ dolia humi defodiunt, atque recõdunt, & cellas uinarias ad aquilonem obuertunt, ne ab aere prompte patiatur. Quod autem in medio est, nec crassitie fæcis præditum, nec ambientis iniuria alteratum, haud immerito præstantius est. Ad hæc fæces (quas floces antiqui dixerunt) sunt tãq; acies roburque uini: & uicem radicis obtinẽt. Vt autẽ radici truncus propior, crassior corpulẽtiorque est, & ueluti quia uentriculo proximior ubi cibi conficiuntur, obeso turget omento, popa uẽter, præq; adipe & pinguitudine pinguis aqualiculus tremit: ita & medium ob eam causam bonitate præcellit. Et tanquam radice abscissa, planta uiuere nõ amplius potest, & sua sede diuulsa arbos exarescit, ita & uina si à fæcibus quæ fulcimentum præstant, elutrientur: inque alia uasa transponantur: franguntur atque castrantur, & mulieribus potius q; uiris bibendo sunt apta. & in saccos transfusa amittunt uires, & effœminantur. Porro mel quod suis ponderibus libratum in imum descẽdit, ideo magis probatur, quia ponderosissimũ esse arguitur, quæ in eo eximiæ bonitatis præcipua est nota. Oleũ aũt quod ĩ supremo bullit omniũ optimũ est, quia aeri magis proximat, cuius naturæ est. quod inde patet; quia in aqua innatat, & fomenta igni & commodissima pabula suppeditat, quantumq; in eo excrementitium est, ab aere pro-

ximo

ximo emungitur & emulgetur.

5 Cur uina alba omnia ut plurimum austera sunt & acerba? unde non tam sanitati tuendæ accõmoda sunt, q̃ urinæ ciendæ uel proliciẽdo sudori. q̃ si quæ uina & dulcorem & crassitudinem habeant, mox ea & nigra sunt & atra. nullum uero dulce ferè album. An quia aquea sunt: multumq́ excrementitiæ humiditatis habent, cũcta autem talia insuauia, & minus mollia deprehenduntur. Quãobrẽ qui uinum dulce parare moliuntur, multo ante insolant, uuas ut calor humidum superfluum depabuletur. eadẽq́ ratione origanũ iniectũ in uini dolia amphorasue uinum dulce efficere potest. quia humorem superantem depascitur. An uero quia tenuia sunt: dulcedo autem cum fiat humido diligẽter subacto, atq́ pertrito pertractato ue, pulchreq́ cum sicco recõmixto: substantiæ mediocritatem exoptat.

6 Cur si uel ex uino albissimo defrutũ confitiatur nigrum id redditur? An quia humidum aqueum super excrescens sufficienter decoquitur, & partes ad inuicẽ permiscentur, unde & præter atrum colorem crassitudinem indipiscitur sapa.

7 Cur lac quibusdam in uẽtriculo acescit, quibusdã autem in nidorem conuertitur? An quia natiuum calorem nonnulli imbecillum habent, quidam uero ualidum. Cũ igitur lac non sit adeo decoctum, q̃tum deceat, sed parum adhuc quidpiam deficiat, ut exactum dulcorem nãciscatur, illis qui frigent acescit, quia nequeunt apponere, quod deest, perinde ac ut èuasis emulctum est: uel tardius, uel serius acido sapore dãnatur. At immodice calentibus per ructus digeritur, & in nidorem abit: unde & Hippo. eius usum tã febricitantibus omnibus, & caput dolentibus, q̃ in quibus excrementa subeunt biliosa, defendit.

8 Quid est quod mel nunq̃ in acorẽ permutatur, in quibusdã uero in flauã bilẽ superaddit? An quia acidus sapor ab imbecillo calore ꝓuenit. At mel ex calido tẽperato dulce euasit, ut non iterũ acescere possit. Illis uero qui suapte natura sunt calentiores, in bilem uertitur, quia quod dulcedine est præditũ, in amarorẽ tristem transit plus satis decoctum, nãq́ si mella igne percoxeris, amara efficies. Calidis igitur mel noxium est. illis uero qui uel ob ætatem uel tẽperaturæ uitio, perfrictionibus sunt obnoxij, commodissimum est, eiusq́ frequens usus commendatur.

9 Cur seniores ætate facilius longe inebriãtur? An quia plus sibi inuicem de temeto, & meratius propinant, ut corporis habitũ frigidiorem contẽperent. An q̃ eorum calor imbecillus nimis est, & facile à uini calore uincitur, & suffocatur, ut cum multa lignorum strues inualido igni cuipiã superponitur. Corpora autem ualẽtiora, tũ uina fortia & meraca, tũ lationes uehemẽtes innocentius tolerare possũt.

10 Cur uina in locis frigidis & ad ursam expositis melius cõseruãtur? An nõ omnia

omnia quidem hoc patiuntur, sed ea dum taxat quæ imbecilla sunt. Hæc nãq; à sole per meridiem decurrẽte transmutantur, & acida fiunt, uertunturque in acetum, in quo naturale quidẽ calidum abijt: & exhalauit. asciticius autẽ calor ex putredine remansit. Vina autem quæ uiriũ magis & neruorum habent, ut sunt ea, quæ græcis appellare uinosa mos est, tum melius habent, si insolentur, quia sic mitescunt, tũ si ad ignium clibanos ponantur, melius decoquuntur, & multam suauitatem acquirunt, & quãuis per mare longis iactationibus deuehantur, à ualidis motionibus nequicquam offenduntur.

11 Cur homines calicibus epotandis deditiminus ad res uenereas sunt apti, ut de Alexãdro in historijs narrãt? An quoniã genitura horũ qui abũdius mero utũtur, nimis humecta est, & aquosa & dilutior redditur q̃ ut ad fœcũdãdũ cõueniat.

12 Cur qui rem uenercam exercent, linguã extra emittunt? An quia tum ad inguina & colem linguamq;, ab arterijs naturali quodã consensu, uel propter cogitationem uehementem, uel etiã num uoluntario, flatuum multitudo delegatur: quæ cum rara sint, & spongiarum modo fungosa, grandioresq; arteriæ q̃ in reliquis partibus in eis reperiãtur, facilime ingesto intusq; delato spiritu replentur. An uero nõ ab arterijs is flatus præcario decernitur: sed ipsamet undique attractrice ui coadiuta, uentosum illum spiritum, siue ab arterijs, seu à quibusuis particulis, passim mutuantur. unde distendi & in meatibus dilatari eas particulas consequatur.

13 Propter quid quidã hoĩes nunq̃ liberos tollunt: nec fœminas implent semine fœcundo? An quia in frigentibus immoderatius uel humentibus non excoquitur genitura: in calentibus plus nimio pertorretur, in siccioribus adeo uirus genitale omnẽ humorem absumptum habet, & aridum est: ut dilatari atq; deduci nõ possit: quo nihil minus semini adesse oportet: cum nunq̃ conceptura sit mulier: nisi semen per bulgam, eiusque interius late patens æquor oblinatur.

14 Cur quædã fœminæ steriles euadũt: & nũquã concipiunt? An quia quæ uteros frigentiores habent, multum pituitosum succum congregant, qui conceptionibus aduersatur, & masculi intus susceptum semen refrigerant, & ferme totum corpus frigore dãnatum (per inde ac uteri) obtinent, quæ uero calẽtiores, uel sicciores, muliebres locos possidẽt, totam alimoniam absumũt, qua debuit ali conceptus. At quibus humiditas immodica uteros occupauit, non fœcundantur, quia maris semen extingunt, & suffocant multo humore submersum.

15 Cur quidam quibusdam iuncti non suscipiunt natos, alijs uero si cõmisceantur, suscipiunt? An quia ij qui uehementem aliquam dictarum primarum qualitatũ obtinent, fieri nõ potest, ut similibus admixti generent. sin autem adhæreant illis, qui contra

contra affectas generationi destinatas particulas obtinent, fieri potest, ut qualitatis immoderãtia contemperetur, & liberi procreentur. Sæpius nanq; contingit uiri genituram frigidiorem, in utero contra affecto calescere, & calentiorem, ad mediocritatẽ & temperamentũ duci. & sic de alijs eodẽ modo sentiendum. Vnde optimarũ pronubarũ officiũ uult esse Plato in Theæteto, ut noscant, quos quibus maritos collocent, & quas nuptui tradant, & ut quam commodissima ad generationem corpora coniungant.

16 Cur uino infuso radicibus & maxime proprio uitis exarescit? An quoniam uinũ est maxime excalefactoriæ potestatis, uitis autem radix imbecillima & mollis est ex omnibus lignis, atq; id circo á uino lædi potest, ut enim robustis & ualentibus ꝓdest, ita etiam imbecillis & teneris officit. Hinc apud Lacedemonios infantes primum natos, mero lauare consueuerunt, & qui uim ferre poterant, hos alebant, cæteros exponebant.

17 Cur urinatores oleo affuso in imis gurgitibus perspicere possunt, & cessare facere etiã tempestates in mare proiectũ oleũ creditur? An quoniã multo lentore participet, & perspicuũ sit, & leuorẽ obtineat, & aquarum motus sistere facit, cũ autem constiterint, & quieuerint, melius reddere & reflectere imagines possunt instar speculi. ita in undis nãque contingere cernitur. Nam cùm quiescunt & consistunt, propter transparentiam solis lumen & simulacra rerum in eis perspiciuntur. cum autem perturbantur, aut uehementi motu mouentur, omnia ita sunt confusa, ut nihil in eis subinde uideri possit.

18 Cur in paleis, cum sint calidæ: niues ad æstatem conseruari possunt? An quoniam concoctrice facultate polleant, & superfluũ humorem exhauriant: & per halitũ digerant. quod autem reliquũ est, magis concrescit, & congelascit, & induratur. Ita etiã niues subĩde generari solent, cũ scilicet ui frigoris ĩmodica aquæ coagulantur & coguntur. Vnde etiam aquas ex niuibus insalubres censent: quoniam per concretionẽ subtile omne quod erat, abierit in auras, & solũ remanserit, quod erat fæculentum & crassum.

19 Cur aquæ potores uisu acutissimo pollent? An quoniam uinum capiti nocet. unde & uinũ á ui: & temetum ꝙ mentem tentet appellarũt. Vt enim intestinis & uisceribus sit salubre, ut inquit Hippoc. cum meratius & uinosum est, ita cerebrum, & caput pulsat, membranasq; distendit, & magnã omnino agitationem in corpore facit. Vnde quã plurimi halitus & uapores sursum eleuantur, á quibus cũ menti obuersentur, & ratio peruertitur, & oculi similia suffusorum passionibus patiũtur. Quocirca: ijs qui in tranquillitate & quiete animũ cõtinere uolunt, uinũ

exhibere

exhibere non decet. Ita & Demosthenes per uitam à uino abstinuisse fertur, ut uigilem, & acrem, & magis perspicacem mentem obtinere posset.

20 Cur flumina tantum in summo non etiam in imo congelascunt? An quoniam extima superficies aeri contigua est, cuius contactu atq; uicinia facilius alteratur. Aer nanq; cum tenuis sua natura sit, mox tum ipse à frigore patitur, tũ cætera cõ simili modo afficere potest. interna cum aeris frigora non sentiunt, nihil mirum: si non concrescant. Huc adde quod calor intus collectus, ut pote oppilatis & obseptis poris: per quos difflari & digeri posset, fundit & fluere facit humores. nec tantã frigiditatem admittit, quanta ad concretionem opus est.

21 Propter quid in Germania flumina adeo cõgelantur, ut securibus & ligonibus abscindantur, & plaustris etiam præteriri possint? An propter excedẽtẽ frigiditatem: cuius ui cuncta superantur. An uero quoniam lente currunt, & tarda, non rapida, nec citata latione deferuntur, itaque cum cunctentur, facilius cõcrescũt. cætera concretionẽ nõ sentiunt propter rapiditatẽ sui motus, sunt enim rapidiora.

22 Cur pueri magis, q̃ ij qui in prouecta ætate sunt ad concubitus sunt proniores? An quia meatus obtinẽt angustos, qui facile tentigine præstringantur. An quia penẽ habent breuiorẽ, qui uel modico & leuissimo flatu attolli & erigi possit.

23 Propter quid aborsus mammarum gracilitas præcedere consueuit? An quia si propter alimenti defectum, tales euadant: fœtũ periturum inopia necessum sit. si uero uel ob boatum ingentem, uel excandescentiam, uel mœsticiam, uel erisypelas, uel phlegmonem in utero, uel casum ex alto, abortum fieri contingat: etiam ubera gracilia antecedũt, quia disruptis acetabulis cotylidonibus ue, quibus cõceptus utero prẽditur, & adalligatur, dolores sequi operæprecium est, quo natura sanguinẽ & spiritus emittere consueuit, quibus ubera destituta ob cõmunionẽ, attenuẽtur oportet.

24 Cur masculus conceptus in dextro uteri alueo ut plurimum gestari consueuit? An quia propter uiciniam epatis calentius semen est, quod in eum sinum deriuatur à dextro dydimo, per cornua & uteri antemnas.

25 Cur balneæ calefactos quidem à sole uel exercitio quodam ualido infrigidant, excalefaciunt autem frigefactos? Utrum quia calent & humescunt satis, ita ut humore quidem siccitates & squallores contemperent. quo facto calor humectetur, & mitior ceu rore asperso reddatur. suopte uero calore frigoris iniurias uindicant, nõ alia sanè ratione q̃ caro humens & calens (ut inquit Plato) effecta, nec hiemis ob calorem, nec æstatis ob humorem quo subinde calor cõspergitur, incommoda sentit. An uero quia siccitatem & squallorẽ eorum qui calefieri uel infrigidari egent, irrorent & medicantur. quibus sanatis, ex cõsequenti illi tolli affectus uideantur.

Cur bal-

26 Cur balneæ eos qui non sitiunt siticulosos: sitientes autem non sitibundos mox faciunt? Vtrum quia discutiunt & digerunt per halitum uentriculi humorem subtilem, quo exhausto sitis consequatur. quam ob rem hos quos sitire uolumus, diutius lauare expedit, ut crebra lauatione, balnearum calor humidum illud oris uentriculi (quē stomachum priuatim nuncupant) absumat. Qui uero sitiūt ꝓpter succos aliquos acres uellicantes uentriculum, ij si soliū dulcis & tepentis aquæ ingrediantur, (ex qua balneas facere solent) dissipatis acribus illis succis, quorum causa sitis perurgebat, insiticulosi euadunt. Perinde ac ij qui noctu bibere appetunt, si lecto decūbant, à siti liberantur, quia si sitis á mordaci & uellicante succorū acrimonia, aut etiā à siccitate proueniat, aduētans somnus in quo calor intro se recipit, prauos succos acresq́;, digerat & resoluat, & siccitatem squalloreq́; corporis humectet. sed hos semel dūtaxat lauasse operæprecium est: ne si in balneo diutius commorati fuerint, siti eos urgeri sit necessum: non solum absorpto alieno & noxio, sed & natiuo humore. Nec mirandum sane est, si has balneū facultates præstet, quas non adeo in uim peculiarē & propriam, ꝗ in patientiū promptitudinem refert. Sic fumigantem quidē lucernæ fomitem oris halitus accendit, accensum uero funiculum, idē & æquè potens extinguit flatus: & Phoebi radius eādem ob causam, lutum quidem indurat, cerā uero dissoluit, & liquescere cogit. Nec dissimili effectu allea: flatus si nō reperiant, in corpore producunt, repertos autem in uentos discutiunt, & attenuant. nam in hijs quidem in extraneos succos agunt per uim calfactoriam & attenuātem quam habent: in illis ad naturales humores se conuertunt.

27 Cur balnea alios pinguiores reddunt, alios emaciant? An quia si ante epulas quis ingrediatur, demacrandi & exiles particulas reddendi uim habeāt, eo ꝙ illarum substātiam depascant. pransos autem & saturos obesiores faciunt, eo ꝙ alimenta suo moderato calore ad membra perducant, & digerant, distribuantq́; per corpus: si lotioni: ubi iam concoctæ in uentriculo fuerint dape: & sanguinationem iam iocinus peregerit: quispiam se tradat. Nam si ante ciborum concoctionem ad lauandum quis pergat, fluor potius mox comprimit, & crudorum humorum prouentus multus exoritur: quoniā incoctū alimentum ad artus ante pertrahatur, ꝗ subigi integre & elaborari possit, ut in uehementi & ualida post prandia latione contingit. Atq́; hoc & pueri ostēdunt: qui cum ob uiriū naturalium robur quas accipiūt escas auide nimis in membra, tum ut alantur, tum ut augescant præripiant, humorē crudum multum congerunt, qui in urinis cumulo residet.

28 Cur tabe affecti nullam à balneo utilitatem sentiūt, nisi in frigidæ solium se se demerserint? An quoniam ea ratione dumtaxat balneæ ijs conferunt, non quoniam

calfaciant

calfaciunt & fundunt humores: (nihil enim ijs tabidis opus est,) sed quatenus squallorem humectant, & excrementa euacuant, & aperiunt meatus: atque resoluunt, quos ingrediens frigidũ, immodicum calorem extinguit, & robur tonumq; particulis apponit. Perinde ac nec ferrum candens aciem unq̃ conciliat, nisi in frigidã iniectum roboretur, qui uero aut per æstatem calidam & siccã, aut ab exercitijs ualidis, aut lassitudinibus, in flumĩa, uel alueos frigidos, robusti iuuenes corpore se intruserunt, ijs quod calentis peluis natatio, (si sic græcorum colymbithram appellare liceat) fatigatio laborque præstitit.

29 Cur uentis in mare incũbentibus multa spuma in æquore generatur? An quia spuma nil aliud est q̃ bullarum & ampullarũ pluriũ coalitus: quæ ex flatu incluso & humore lentoris aliquid continente, circunfuso, ortũ habent. Ergo dũ uenti agitant undas, & cõmouent procellas, fluctusq; ad littora disrumpunt, quia accidit, ut flatus in minutissimas partes dissectus, humoris particulis multis minutim cõcisis: intus misceatur: nihil mirum si mare spumis inundatur.

30 Cur in ferocientibus capris os spumescit? An quia propter furorem accenso calore multus aer ingrediatur, qui refrigeret, quo permixto humori, calido agitante, soluto, spumarum ortus uindicatur.

31 Cur ubi ad ignes lebes, aut bene utrinque auritus cacabus impositus est, liquorẽ late spumare uidemus? An quia calor humori flatum commiscet, & temperat, ut bullæ generatio procedat. cũ autem obductus humor lentore magis participat, ut in ijs quæ in sartagine ex oleo coquuntur, contingit, ut bullæ & spumæ innatantes, permanentiores sint, q̃ quæ in aqua sola consistunt, eo q; humoris lentor & uiscositas difficile solubilis sit, nec ita cito dissipari & discuti possit.

32 Cur currentes per hippodromum curriculumque equi, dũ gloria palmæ, & uictoriæ ardor præcipites per stadiorũ metas agitat, atque sollicitat, multa saliua spumantia ora obtinere uisantur? An quia duplex producendæ spumæ illis qui cursu feruntur, occasio & opportunitas adsit, calor scilicet qui per intẽta exercitia, maiore in copia inaugetur, & motus etiam nũ impulsus, & rapidus. quæ duo si quis spumæ productrices causas diffiniat, is certius rem decernet, quam ut opinione sua fraudari possit.

33 Propter quid si lapillus calculus ue in aquã mittatur, multos orbes in aqua cõtinuo maiores efficit? An quia sectio omnis quæ in globoso sphærico ue corpore fit, circularis & conuexa ut sit necesse est, atque ob id qui aquas icit atque diuidit lapis, quoniã in rotundo sectionem molitur, per orbẽ liquidas undas dispergit. An melius quia pulsa suis sedibus limpha, utrinq; aliam propellit, & ea rursus aliã portionem

tionem aquarum trudat, cum simul in eodem loco esse nequeant, & sic deinceps: quo fit ut continuo illa orbium constitutio longe maior sit, quoniam ab orbe contento sequens unda citatur: sit uero longe obscurior, & minus uisu notabilis, quoniam ictus indies fiunt imbecilliores.

PROBLEMATVM NATVRALIVM

Sectio quarta, de ætatibus, temporibus, consuetudinibus & temperaturis quæstiones continens.



Vr ijs qui pubescere incipiunt, sanguis de naribus fluere solet? An quia plus de eo humore tunc temporis cumuletur, non quod in maiori quantitate quam pueris generetur, quibus & calor æque intensus est, & facultates naturales sunt fortes, sed quod minus insumatur: quia corpus nõ adeo proportione augescat, quam in ea ætate quæ præcessit.

2 Cur alij ocyus, alij tardius pubescunt? An quia hi quidem sunt frigidiores, & spissos meatus continent, ut nequicquam à calore dissoluãtur, nec pilus penetrare possit. hi autem sunt calidiores, & rariori contextu constant: quibus & multum de excrementis ad pilorum generationem superfluit, & fuliginum facilis est exitus.

3 Cur alij ad magnam corporis staturam perueniant? An propter materiæ abundantem copiam, ex qua ubi superat: (sicut ex multo ære magna statua, ex pauco parua conflatur) efficere particulas mole præstantes natura potest. An propter humiditatem quæ dilatari & distendi apta est, cum siccitas multum adeo obsit, ne membra dilatentur. Nam tam diu corpora animalium inaugentur: quoad ossa augmẽto siccitatis porrigi amplius non possint. Hinc est quod uolucrũ fœminæ quæ incuruis sunt unguibus, corporis magnitudine mares excedant, quod illæ humidiores sint, ita ut calor materiam habeat, quã protendat, ij uero quia impensius caleãt: sicci adeo euadant, ut non adeo incremento proficere possint.

4 Cur pueris, & ijs maxime qui sunt uoratiores, noctu pauores accidunt? An propter crassos & crudos halitus per uẽtriculi cruditatem genitos, quod & atrabiliosis euenit, dum uisa meticulosa: & horrenda somnia uidere se credunt, propter humoris atri caliginẽ, qui mentis sedibus obuersatur. Spectãt & uiri iam perfecti uarias & timore plenas phantasias, & insõniorum alienis simulacris spectrisque terrentur: quibus multi & pessimi succi: os uentriculi (quod præ omnibus alijs sensus acumine pollet) aggrauant, & morsibus continuis infestant.

5 Cur iuuenes magis morbis capiuntur quam senes? An propter uictus intemperãtiam: nam in comessationibus & crapulis uersantur, & de symbolis cum æqualibus esse consueuerunt, minusque accuratam salutis rationem obseruant, non autem

8 Cur senes uigilijs magna ex parte infestantur? An quia senectus sollicita & curiosa naturæ sponte est: cogitationes autem somnos (ut liquet) auertunt. An propter siccitatem, quæ senescentibus supra modum intenditur. Contingit autem nonnunquam: ut per cruditatem & minus debitam concoctionem humores multos superfluos & excrementosos, seniores accumulent, qui etsi sæpius à naturali calido uincantur: superāt tamē interdū: & somnos nō naturales obducūt. Quo fit ut eo præcipue tempore, quo integra sanitate fruuntur: peruigilio magis obnoxij senes esse soleant. adeo ut eorum peculiaris affectus uigilia non iniuria dici mereatur. De siccitate uero solidarū partium: quæ in senum membris est, quid dicere etiam oportet? quāuis nonnulli: senes humidos esse: pronunciare temere sunt ausi, ꝙ uiderent senes grauedini, & raucedini, & nasi destillationibus subiectos, & cæteris uicijs: quæcunque ob pituitam in uentre & membris per temeratam concoctionem genitam: ex accidenti & non primo, annis cōfecti incurrere sæpius norunt.

9 Cur glaucedines oculorum contingunt senibus? An quia species quædam suffusionis est: quod malum hypochysin græcorum filij uocant. An propter immoderatam corporis siccitatem. Vnde quibus in uisu spirituum multa est copia, & humor ab albo ouorum dictus: lucidus purusque, & oculi aridiores, & pupula extra posita est: glauci oculi (quos & cæsios à cædendo, & charopòs græci appellant, qui noctu magis ꝙ interdiu cernere solent, & ignis modo mirifico quodam fulgore uel in tenebris micant) per naturam esse consueuerunt.

10 Cur in siccitatibus salubrius homines ætatem degunt? An quia nihil est excrementi, quod morbum generet. In anni autem constitutionibus humidis: multi superflui humores in corpore congregantur, quibus putrescentibus & febres & egritudines longæ, ortum habent.

11 Cur eos qui in animi deliquium conciderunt, ex frigida multa consperſio, & præcipue rosacea releuat? An quoniam spiritus cogit in unum ne abeant & dissoluantur, qui plurimi & tenuissimi ad faciem ut sensuum munera obeant, uenire consueuerunt.

12 Cur austrini flatus auditum hebetāt: caligines inducunt, caput grauant, & surditates, & uertigines, (quæ attoniti & comitialis morbi indices sunt:) faciunt? & pigros denique & tardos homines reddunt ad obeundas functiones: quæ ab electione procedunt? An quia calidus & humens est: atque ideo caput facilime replet, & organa sensuum aggrauat, ut nec sentire: nec moueri mēbra sint nata. At Boreas quia frigidus & siccus est, tussiculas quasdam excitat, aut aluum duram efficit, & magis est salubris, quā ut austrinis flaminibus: quo ad noxā cōparetur.

Cur in frigo-

12 Cur in frigoribus tusses, dolores lateris, & spinæ, atque lumborum corripere consueuerunt? An quia neruacea sunt: quibus frigidum inimicum est. atque ideo membra quæ spirationi subseruiunt: per algores propterea patiuntur, quia nec spirationem arcere, nec aliunde spirare licet: cum cæteros artus à frigore facile uestibus defendamus.

13 Cur consueti aut terram aratro inuertere, aut remigio impellere nauim, facilius illos labores ferunt, quam si non consueuissent? An quia in particulis mutuo attritu confricatis: & exercentibus, robur quoddam acquirunt, ut gymnasijs magis incumbere possint.

14 Cur qui cibos aliquos prauos assumere sunt soliti: minus quam ab insuetis læduntur? An quod cibus etsi plurimum perpetiatur, & alteretur, ut in substantiam aliti conuertatur, afficit tamen nonnihil, & alterat particulam quæ alitur, ut tales fermè euadant nutritorum partes, quales sunt nutrientium qualitates. à proprijs ergo, & sibi peculiaribus minus homines afficiuntur, quod facilius & minore cum dispendio alimoniam præstent, & assimilentur. edulia autem inconsueta, etsi uincantur & superentur, & membro alendo accommoda reddantur, afficiunt tamen & ipsa non nihil: dum patiuntur. Perinde ac panis frustulum, quod dum uel acutissimi chalybis acie secatur, uim gladij obtusiorem reddit.

15 Cur qui aeri frigido uel calido frequentius se exposuerunt, difficilius perpetiantur, cum ex consuetudine nihil referre appareant? An quod eorum corpora qui frigido assueuerunt, frigus compingit: & densat: compactioraque reddit ut resistere ambientis iniurijs ualeant. At eorum artus subito peruadens frigus, qui non frigido communicarunt, & præcipue eos qui raro corporis contextu sunt præditi, aut qui carne & crassitudine destituta, à quibus calore tepido foueantur, membra obtinent: multum adeo incommodi affert: dum impete ad uitalia defertur: nullo propugnaculo proiecto.

16 Cur qui humida ab ortu temperie oppido sunt nati: ij quo ad senium magis uergunt melius agunt? An quia sicciora sunt senum corpora, atque ideo: temperamentum innatum in dies temperatur, & excrementitius humor per ætatem sensim procedentem resoluitur.

17 Cur pueri multum somno impendere solent? An quia sunt natura humectiores: ut senes contra: uigilias plurimum patiuntur: propter corporum siccitatem.

18 Cur in diatribem gymnasiumque ubi pueri erudiuntur, ingredi ominosum putant? Vtrum nè quia significare uelint: impuris cum ijs quos puri imbuunt mores: conuersari non licere. quales sunt pueri casti: & nulla uitiorum scelerum ue labe distincti. An quoniam ibidem sub orci galea, dæmon aliquis bonus occulte insidiatur, & custodias agit, ne imbelles puerorum uires: quas quiduis afficere natum est, fascino præstringantur, si uir quispiam ingrediatur. An quia in his locis improbi prauique spiritus degere solent, ut à teneris unguiculis pectoribus uitia consuescant.

 Cur cum urbs

19 Cur cum urbs s[illegible] salubris est, per rectos calles incedere iubent. à lateribus autem & ex transuerso: ubi lues communis populum occupauit? An quia flamina medios uicos flatibus tenere solent, quæ tempore incolumi perflant: & à putrore conseruant, cum autem noxius est aeris status, tabem uisceribus afferunt.

20 Cur quibus hominibus barbæ pilus siluescens est, dementiores, quibus uero rarus in mento pilus suffruticat, sollertiores, & ingenio mentis magis præditi: esse solent? An quia hirsuti (quibus frequens materia cedi apta, & tonsore digna succreuit) excrementorum copiam habent, quæ intellectum ceu nube obducta præpediũt. An quia libidinosiores ij tales hispidi esse consueuerunt, leporum & dasypodum cuniculorum ue exemplo, quorum exploratissima & fœcundissima est uenus, qui nõ adeo sub imis pedum uestigijs, sed & in ipsis etiam malis pilos habeant.

21 Cur barbicomi sapone, & lexiuio ad lauanda capita utuntur? An quoniam hoc quidẽ, ui abstersoria quà pollet, sordes hærẽtes capiti & furfures scalpit, & extrahit, sapo autem sublatas iam expurgat & colluit ob eandem uim.

22 Cur uere sudores multi in febribus cõtingunt? An quia & calor & humor tunc simul conueniunt. cũ hieme desit calor, à quo humor subtilietur. In æstate autem nulla sit sudoris aut minima copia.

SEQVVNTVR QVÆDAM problemata de atrabiliosis.

1 CVR qui atræ bili sunt obnoxij: pauidi & mœsti esse cõsueuerunt? ita ut hoc sit nõnullis eorum præcipuũ insaniæ caput, quod interitũ maxime timeant. An ꝙ pauoris causam semper secum circumferunt. Nam ut in rebus extra corpus: nihil est quod uel pueris uel insipientibus timorem magis incutiat: q̃ tenebræ exteriores: ita & atri nigerrimiq; humoris nigror & obscuritas: locum quo sapimus: obumbrans, meticulosos homines operatur.

2 Cur horum nonnulli quos atra bilis exagitat, sibi necem conciscunt, uiolẽtasq; sibi inferunt manus? An quia ad eum modum se: malis quibus in præsenti premuntur: liberatum iri sperant. An uero quia mori pulchrum arbitrãtur, ut barbarorũ Thraces qui uita mortem iudicant potiorem, & puerperia deflent.

3 Cur ex ijs quos hoc malũ occupauit, alij corpus siccis membranis æquè aridum se habere existimãt? alij tegulam sese esse autumant, ut obuios quosque deuitent, nè in congressu testaceũ illorum corpus confringatur? alij autem: nè caput quidem sibi adesse persuasum habent? ut is quem sanitati restitutum à Philotimo tradunt: imposito plũbeo globo super caput, quod nunq̃ se habere intellexisset, ni ea industria fuisset curatus. An propter atræ bilis siccitatem, quæ cum frigida, tum uero arida est: cũq;

cunq; in cerebro exarsit, & detosta est, caput craneūq; adeo leuiculum reddit, & ui deri facit: ut capite se non carere, nō sentiant. Accedit & leuitas: quā spiritus flatuosus ad supernas partes sublatus molitur, quo ij nimium in modum scatent.

4 Cur autem quos atræ bilis uitia susceperūt, plurimos cibos deuorant, nec edulibus modū faciūt? An quia cōtinue illis uentriculus refrigeratur, ab atra bile iugiter in stomachum, hoc est uentris oscillum, defluente, unde illa inexpleta edendi uorago ingluuiesq; insurgit, quæ frigidum uentrem habentes comitari cōsueuit. Fames autē calidi & sicci appetentia esse diffinitur.

5 Cur uero hoc hominū genus, cruditatibus cōtinuis laborat freq̄uēter? An quia plenū & excrementosum illis est corpus: cū præ imbecillitate nimia: recremēta quæ ualidus calor per halitum digereret, discutere nequeant: & bilis atra insinus uentriculi corruens: & horrere faciens, concoctiones impediat.

6 Cur ijdem mero intemperanter abutuntur? An quia algiosi sunt: quorum natura calefieri exoptat.

7 Cur aūt aluus ijs ut plurimū retinetur? An quia flatus, & spūs, q̄ subeūdo ꝑtrudere excremēta possent, supiora capessūt. Nā multis qui id genus mali patiūtur, ab imis ilijs hypochondrijs ue hic morbus enascitur. (unde & hypochondriacus appellatur) quo fit, ut cū ex longis interuallis illis aluus soluatur, nōnūq; ui maiori collecta: magnā & colliquescentem excrementorum multitudinē affatim egerere soleāt.

8 Cur ij tales linguā fere blæsam obtineant, & ad loquendum (ita ut sermo mētem sæpius præuertat) sint promptiores: & acutā & gracilem uocē, exili quodā sono pronunciēt? An propter flatuū rationē, qui cū intento procliuiq; impetu deferātur, & toto corpore, sed maxime supernis partibus abūdant, etiā ut celeriter uox defluat, in causa esse possunt.

9 Sed cur qui melācholiæ huius malis molestantur, oculos prominētes, & emissitios, frequēterq; nictātes, & labra plus iusto crassiora (quos labeones uocitāt) magna ex parte obtinere cernūtur? An propter uim flatuū ingētem, qui cum retineantur: nihil mirum si palpitationes uarijs in corporis partibus operentur, & in musculorum cauis contumaciter illarum partium contenti, egressos extra oculorum orbes & labiarum apparentem crassitiem moliantur.

10 Cur oēs qui atrābilem in corpore cumularūt, hispidi sunt & hirsuti, pilorumq; per nigra membra prodeuntiū silua rigere consueuerunt? An propter excrementorum copiam qua supra modum abundant: quæ cum in ungues & sordes summæ cuti adhærescentes abeant, maxima tamē eorū pars in crines consumitur. sicuti etiā in animalibus, quibusdam in squāmas: quibusdam in cornua, alijs in pellem duram, gloriosamque

ſamq; iubam:totius corporis excrementa digeruntur.

11 Cur atrabilis nigrorem ſortita eſt? An quia à ſanguine craſſiuſculo uel ab humoribus atris, uel à flaua bile (ex quibus conſiſtere ortumq; trahere ſolet) per exuſtionem humor exhauritur, quo depaſto & abſumpto nigredinem ſequi par eſt. ut in nobis:cũ inſolamur, & in carbonibus exuſtis, ubi uis ignis ualens receſsit: paſſim & cotidie experiri datur. An uero frigoris ratiõe nonnũq; atrabilis nigreſcit, ſicut in frigoribus:liuidas & atras extremas effici partes contingit.

12 Cur qui aridã obtinent cerebri temperiẽ ad mathematũ diſciplinas ſunt apti? An quoniam ſiccitatis beneficio diutius inſiſtere demonſtrationibus, & magis retinere, fixa cogitatione, eandem phantaſiam poſſunt. Quo circa ij tales ad philoſophias ſunt inepti, quæ de ente mobili ad diuerſas formas pertractat: quia illa celeritate uacant, & nec organum mollius habent, quo ſe ad mirificas rerum naturæ facies, & ſpectatiſſima miracula contemplanda conuertant.

13 Cur morbi à ſiccitate ſunt incurabiles? An quoniam hæc qualitas cum minimum agat, maxime renititur. An qnoniam per humentia medicamenta perſanari debet, quorum uis imbecillima eſt.

14 Cur autũno multi & corripiuntur morbis, & intereunt? An quia modo calor, modo frigus infeſtant: nam cum dierum media ardeant, principiũ & finis diei frigoribus perurunt. An quia ex æſtate præcedente uires quibuſdam imbecilliores ſunt redditæ. An quia toſtos ſuccos calore temporis: quod immediate præceſſit, excipiens autũnus: materiam habet: unde morbi procreentur. An quia cum humores antea ad cutem pergerent, & difflarentur, tunc contrario naturæ motu, in profundũ abeunt & reconduntur, ut diſcuti nequeant. Accedit ꝙ qui incontinentiori diæta utuntur, fructibus fugacibus (quorũ ea hora feracior eſt) non parcunt, qui horæi dicũtur, ꝙ in hora: hoc eſt in illis quadraginta diebus: in quibus ſiriũ ſidus feruet, ꝓueniãt, ex quibus febres longæ: quæ ex putredine hũorũ & ſuccorũ uitio (quã cacochymiam uocant) ortum habent: occupare & ſequi conſueuerunt. nam crudis & immaturis, putrediniq; aptis ſuccis oẽs ferme fructus arborei recẽtes ſcatent.

SECTIO QVINTA PROBLEMATVM naturalium de animalibus nonnulla continens.



CVr paruulus ſæpe puellus, qui balbutiat adhuc forſan, & auiã (ſi ita res ferat) conclamet, magnum inſidens tergo agitet elephantum, & baculo inter pronomidẽ adacto, tantã molẽ quo uelit: agat? cũ non ſit par maius à minori cieri: An quia in paruis etiã ineſt quædã uis, qua ingẽtia pondera attollantur, & moueri queant. Vt cor in homĩe: quod cum minimæ ſit quantitatis

quantitatis, totam tamen uitæ sibi uendicat potestatem. Et in nauigijs clauus, qui leui impulsu nauem modo huc modo illuc aduersis fluctibus circunducit. Quin & in corporibus omnibus fieri non posse, quin incorporeum aliquid habeatur, sensum effugiens, fatetur Aristoteles. An quia ipse sibi elephas imperat, magisque hunc naturæ persuasio, & obedientia qua parere consueuit, agitat, q̃ rector, & eques qui supra uehitur. Nam cum semel imperio subijci nouit, & in hominem naturali quadã & insita humanitate utatur, non spectat amplius uerbera atq; flagella, sed non inuitus ipse se cogit, ut sessori quicunque tandem is sit, obtemperet.

2 Cur cũ bifida animalium dumtaxat: habere cornua cernantur: elephas animal pentonychũ, id est in quinque digitos manus habens dearticulatas, cornibus non uacet? An uerum id est quod bisulca tantum cornuum uallo sint prædita, elephantorum autem cornua quæ uidentur, aptius dentes appellari mereantur. Nam cum cornua quæcunque: singulis annis ad imam radicem circunscriptionem quandam, in modum lineæ orbicularis describant, elephanti cornu nihil unquã tale patitur, sed leue undique, & teres est. Ad hæc cum ossibus quibusdam fistulosis inditis (quæ sirangóde græci uocant) cornua extrinsecus opifex fuerit fabricatus, nihil tale in elephantorum cornibus uocitatis cõspicitur. quin potius ad dentium morem, tenuissimum quoddã foramen, recta per medium procedens: reliquis partibus firmissima soliditate cõstãtibus: obtinẽt. Sed nec (quod cornibus quacunque de causa euenit) nisi ignibus tradantur, corrumpuntur, aut uitium aliquod senectute contrahunt, sed tales usquequaque perseuerant.

3 Cur cũ insita sit parẽtibus erga natos: naturalis beneuolẽtia, elephãti pullos suos cũ flumĩa pertrãseũt, præmittãt? An ut si hostes à tergo irruperint, scutũ & munimẽ sint natis. An uero ut ꝓfunditatis aluei cõiecturã capiãt, Nec enim certiores esse possent, si qui sunt proceriores, facile superarẽt tranarentque flumẽ, an paruuli trãsmeauerint. Vtrũ ne si grandiores præcedãt, alueũ profundiorẽ, & foueas lacunulasq; pedũ crassitie, & ingẽti pondere, uastaq; corporis mole efficiant. quibus natu minores submergi aut periclitari contingat.

4 Cur boues & omnia ueterina caudas ad nates recondere instante hieme consueuerunt? ut est apud Hesiodum in Ergis dum ait.

Tunc frigent pecudes: caudas perque inguina ponunt,
Atque boum pellem, uentorum flamina perflant,
Hirsutum & pectus faciunt horrere caprarum.
Vmbrosum ast ouium uellus: nec frigora lædunt.
Porcorumque greges, perstent ꝗ corpore setæ.

Atque senes reddit: trochorum more: rotundos
Vis ingens Boreæ: mollis sed uirgo domorum
Quæ manet in latebris, latitans sub matre seuera,
Nec Veneris nouit fraudem, aut certamina lecti,
Frigora non sentit, corpus sed cũ unguine crasso
Vngens atque lauans, recubat non horrida noctes.

An ut se à frigoris uentorumque iniuria tueantur. nam cum graciles tenuesque nates habeãt (quas pygas græci appellant. unde oropygium auium cauda deducitur) ni se caudæ defensaculo protegerent, facile à frigore penetrarẽtur. Quibus & ea de causa fuere caudæ cõcessæ: ut pudibũdas particulas: quæ nõ reuerẽter oculis ostẽderentur, obuelarent. pudori scilicet in omnibus prospiciẽte natura: atq; cauẽte usque adeo, ut inhonestæ partes à uisu occulãtur, ut quæ eã ob rem glandẽ colis: præputio obtexerit, nullius rei gratia: præterquã pulchritudinis & pudoris. Etsi nõnulli reperiantur, qui ad uoluptatẽ percipiendã maiorẽ, nõ parũ cõducere autumẽt. Vnde & apud recutitos apellas, incircũcisorũ est uenus: ueluti prouerbio celebrata. De simia uero ut pote ridiculo animẽte, nihil ꝓuidit natura, aut cõsulendũ sibi putauit, si pelle defectũ nudũq; penẽ obtineret, quo nihil turpius cõspiciat aliquis. Auibus autẽ nõ tã muniminis causa, q̃ temonis & gubernaculi, fuit caudarum usus tributus, ut melius se in uolatu dirigerent. nam cũ caudas expandunt, magnam aeris uim subtus suscipiunt, quo se cõmodius fulciãt. At homini carnosas & pinguiusculas glandulosasque habenti ad sessionem nates, nihil alio quouis opus fuit, quo se ab ambientis molestijs tutaretur.

5 Cur aues quæ ex præda & iniurijs uiuunt, minime potant? An quia crudas & indomitas, & multa cæde cruoreq; madentes carnes deuorant, ex quibus satis refrigerari possunt? An quia sæpissime sitis á pulmonibus prouenit, cum intenso feruore exæstuant. Alitibus aũt spiritalis hic follis, uuidus & insubidus est, multoq; intus recepto halitu spongiarũ ritu turgescit, non enim aliter sustinerẽt: dũ se in aere suspẽdunt. An quia aereo uolatu in sublime se attollentes: frigidos mediæ regionis, quæ impendio algescit, bibunt rores: & frigido uapore & spiramine utũtur. Iis igitur nequicq; uesicam tribuit natura, quæ urinas susciperet. sed cum plus satis humidi excrementi congesserint, per aluum liquida excernunt.

6 Cur piscium omne genus mutum est & non uocale? An quoniam pulmonibus caruerũt, qui sũt & respirationis, & uocis quæ nõ sine aere retẽto fit, instrumẽtũ.

7 Cur pisces cũ sint exangues, & modica omnino refrigeratione egeant: ab aqua tamẽ inspirationem suscipiunt? An quoniã aquei sunt, & aquarũ illa inspiratio ad

cordis

cordis temperandum ardorem illis proportionalis & expediēs est. Vnum quodque enim quod præter naturā non se habet, à similibus propriā & naturalē tēperaturā tuetur. An potius non sibi ex aquis euētationē & refrigerium accersunt, nam per branchias respirant, quæ multis & subtilibus adeo foraminibus sunt pertusa, ut uaporem quidē tenuē & aerē inspirare possint, subeūtes undas autem prorsus nō admittant. Qui autē inter pisces calidiores sunt, ut delphinus aquarū moderator, ij caput per supinos fluctus attollentes, sibi aerem externum comparant.

8 Cur piscibus dexter cordis uētriculus deest? An quoniā pulmonē non habent: quē propter, ut illi cor sanguinē probe concoctū, pro flabris rependeret susceptis, institutus est ille dexter specus.

9 Cur pisces pedes non acceperunt? quo argumento :nepodes à græcis appellantur: An pinnarum series & ordo quas binas, & ternas & quinas utrinq; multi obtinēt, illis pedum uice est, dū eas natando mouēt. Qui uero in piscibus ambigunt, & in aquis degunt, & in terris, amphibiaq; uocantur, ut polypus, qui & octopus dicitur, & sargus, ijs ut per humū serpāt: pedū munera natura non denegauit.

10 Cur ælurorū felium ue oculi noctu lucescūt? An non lucēt quidem & refulgent in tenebris, si lucernarū lumen non adsit, sed cum humidissimi sint: propter humorē multū ouorū albo similē, quē habent, (ut color albidus ostendit) & lucidi, & transparentes, facile ritu speculi, acceptum à luminibus circūlucētibus reddūt splendorē. Hoc autē ijs magis accidit, cū lunæ sidus plenā orbitā peragit. quia eo tēpore ut in mari ostrea implentur, & æquorei æstus crescunt, eorū pupulæ humoris copia dilatantur, & euadunt maiores, adeo ut magis lumen reflectant.

11 Sed cur putridæ quercus noctibus splendēt? An quia quæcūq; putrorē concipiunt, multo calore ignescunt, ut interdum ardeant, & proxima quæq; perurant: ut in columbino fimo sæpius est pernotatum. Fit autem hoc magis in humectis & uliginosis locis, quia humor materiam aptam putrefactioni præstat. Humor igitur transparentiā facit, exignitio autem, ut transluceant.

12 Cur arachneæ fila & telas subtilissimas mittunt: intexūtq;, quibus culices & imbecilla animalcula irretiuntur? An propter suum: id quod foris habēt: ceu corticeum uellus, quo paulatim depexo, deductoq; in staminis morem, & minui illas, & filamenta edi contigit. Nā ita in uermiculis illis passim euenire cōspicimus: qui mori arboris folijs depastis, fila serica ambitiosa, ex proprijs excrementis producunt, qui & uitā pro bombice, propria substantia, paulatim in sericū illud uellus nimirū absumpta: permutant. An uero quia inest illis naturæ sponte lanigera quædam fœcunditas: ut est apud poetam.

Cætera

Cætera sunt uenter, de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet arachnea telas.

An uero quia statuto quodã tempore alui intus natura corrũpitur, unde excremẽti cuiusdã modo, tanq̃ subtegmẽ quoddã ad intra colligatur, ex quo tenuissimi illi complexus fiant, quibus apiculas & muscas inuolantes conuenantur.

13 Cur arachnea in medijs cassibus excubare cõsueuit? An quia cum æquales sint quæ à centro feruntur: in medio consistens, pedibus uincta tenens filorum, quæ neuit exordia, facile undiq; præsentire potest, si quæ in plagas temere bestiola cõuolarit. Quo argumẽto nõnulli philosophiã colẽtes, principiũ sentiendi in corde haberi uolunt, atq; illuc oẽs sensus tanq̃ ad caput fontis: corriuari & tendere cõtendũt, q̃ eam sedem aptã esse affirmãt, ad nũcia & legatiões sensuũ oĩ ex parte ueniẽtes capiẽdas.

14 Cur qui meticulosos equos nõ timere docent: noctu id facere cõsueuerunt? An quoniã tunc pauores sunt maiores, quos si edocti superarint, facile spes est, q̃ etiam quoscũq; non æque magnos contẽnere discent.

15 Cur AEgyptij præstãtissimo honore arietẽ obseruabãt? An propter Iouem Ammonẽ qui apud illos sub arietis forma cõsecratus est, atq; olim illis hac sub specie apparuisse traditur. An propterea q̃ est generationis principiũ. An quia est celerrimi motus, si ad sideris imaginis ue constellationem respicias, ut qui circa æquatorem sit consideratus, qui omnium circulorum coalternorum ocyssima latione cietur. cum æquo diei spatio longiorem orbitam peragat, ut non immerito uim uniuersi concitatricem atq; motiuam maxime hoc in orbe cõsistere crediderint philosophi, qui noctes cum diebus exæquat.

16 Cur canes Nilũ fugientes bibunt? An quõiam crocodilos, Niloticũ animal, (quod solum è cunctis superius agitat labrum) qui ob oras littoris inambulantes, illis exitium parant, pertimescunt,

17 Cur si irruant impetu facto canes, minus exasperantur, minusq; illatrare atq; discerpere festinant, si baculum quod manu habeas proijcias, q̃ si retineas? An quia est sua quædam in canibus æquitas, qui aduersus impotentes, atq; inermes, qui scipionem telum ue deposuerunt, uires infringere, atq; insilire, & insurgere, rabiẽq; exercere nephas esse ducant. Sic Laertiadem post uiginti æstates longo annorum spatio, postliminio patrios lares repetentẽ, impune sui canes morsibus dilacerassent, frustraq; atq; nequicq; Laerte satus: tot undarũ atq; belli pericula, procellosasq; tẽpestates euasisset, nisi diuus subulcus (si uera narrat Homerus) proiecta uirga: furorẽ canũ sedasset, atq; refrenasset iras. Pari pietate ferarũ immanissimi leões, pueros infantulos in uijs iacẽtes nõ strãgulãt, nec attingũt, in hoĩes autẽ aggrediũtur.

18 Cur crocodilos id genus aīalis dixerūt? An quoniā peculiari quadā naturæ rōne & ꝓprietate crociū pertimescit. unde qui mellationis uīdemiā faciūt, quò mella ab eorū insidijs defendāt, cuius sūt auidissimi, pellibus sparsis croci maniplos substernūt.

19 Cur timētibus comæ erectæ: & duræ per brachia setæ euadunt? ut Poeta ait: Obriguere comæ metu. An quoniā in metu cōniuescūt meatus, & cutis constipatur, & qui laxioribus radicibus hærebat pilus firmius cohercetur. An quoniam petēte intima calore: pars aliqua pili intro reuocatur, minorq; extra relinquitur, & extima refrigerātur, & cōdensantur. Frigus autē inspissandi uim habet, ut in arctoís animalibus uisitur, quæ hispida & pilo mucronis in morem exacuto, rectisq; setis armata nascuntur, quibus aduersus insequentes telorum uice utuntur: potissimum uero hoc in brachiorum crinibus accidit, rigores enim à brachijs incipere certum est.

20 Cur fœminis inter se natís, Amazones dextram mamillam æreo instrumento ignito perurebāt? An ne ad pugnas impedimentum ferant, bellaces enim sunt, & in expeditionibus agūt, & uirorū instar equos conscendunt. An ut tota uís & alimentum ad dextrum brachium humerumque redeat, quo dextra ualentior sit, & firmiore robore prædita.

21 Cur homini, sui, & cæterís animalibus, quæ dentes seria quadā dispositos habent, (synodonta dicunt græci) lien albior est, leonibus autem, lupis, ursís, pantherís, & alijs id genus nigerrimus? An quoniā quodcūq; in sanguine limum algamque refert, & fæci in uino, & olei amurcæ ꝓportiōe respōdet, id liē repurgat, & ad se, cui hoc est munus destinatum, trahit. quod si quo uitio lienis porus, uel scilicet duro aliquo uel molli obstāte tumore obstruatur, & decolores & atro colore infecti homines euadunt. Cum igitur ex hoc humore sentiat lien alimentum: ut eius indicat sapor, qui interdū adeo tristis & ingratus est, ut attingi & gustari non possit. Tale nāq; mēbrum est: quales sunt humores quibus quæq; particula alitur. Fit itaq;: ut in quibus animantibus hic humor atrus: plurimus accreuit, in ijs liē cæterís uisceribus sit atrior. Cumulatur autem hic humor impense, tum in autūno, tum in tempore, quo ætas à consistentia ad senectutē labitur, cum supertorrētur humores, tū in animalibus feruētibus: qualia omnia penè sunt, quæ dentes extra ora exertos & prominentes proferunt, (quo argumento carcharodonta fuére appellata) hinc tauris in ætate existentibus licr non adeo niger est, senescentibus autem ad atrum eius color conuertitur, & nonnullís ut suibus (& si longe ꝙ̄ epar sit insuauius) edendo tamen est. in alijs autē adeo gustū non audit, propter atræ bilís amarorē, ut ganeones: qui aliquorum animalium carnibus perinde ut sapidissimis edulibus delectantur, à liene sibi tēperent, nec gustare possint.

Cur homi-

22 Cur homini ungues natura sũmis in digitis locauit? An ꝓpter eundẽ usum, ut Plato sentire uidetur, quẽ in cæteris animalibus præstant, quibus dati ideo sunt, ut laniarẽt & discerperẽt, prædãq; incuruis unguibus tenerent. At homini quidẽ animali politico & ciuili nõ cõuenit ungues esse sortitũ, in idẽ cõmodũ, quibus immanes belluæ exarmãtur. An muniminis causa (ut Aristoteles ait) q̃uis indistinctim, nec enim ad uulnerũ, uel frigoris, uel caloris iniurias arcẽdas, ungues subsidiũ ferũt. An uero ut dura & minima corpora, qualis est spinter, aut acus, fibula ue cõprehẽdere possemus, quæ nisi summis digitis tenere non licet. Nec enim caro sola sat est, à duro nãq; subuertitur, & prorsus cedit, nec uero ungues ipsi sufficiunt, quia durũ à duro elabitur, circũ plicari nãq; idipsũ quod apprehẽdit, oportet. sed utriusq; præsidio belle hæc cõprehenduntur, unguibus cõtra nitẽtibus, & firmantibus retrorsum carnẽ ne fluat. Vnde (ut Hippocrates ait) ungues nec grãdiores nec minores summitatibus digitorum esse cõuenit, sed ut sint æquabiles.

PROBLEMATVM NATVRALIVM

Sectio sexta, in qua de plantis, herbis & fructibus quæstiones afferũtur.



Cur in minutissimum quantitate semen tot uirtutes concedere possunt? Vt in ficus granulo cẽchramideue, & uuæ acino, & genitrix, & altrix, & auctrix facultas adsunt, & quæ digerit, & cõcoquit, & distribuit, & attrahit & retinet, & alterat alimentum, ad generandum truncum, ramusculos: folia, fructus. An quoniã non uim ipsam forte seminis, sed diuiniorem potius hæc naturam sequuntur, quæ per semen genitis accõmodatur. An quoniam omnium rerum semen modice calet & humet, natiuo quodã calido, & humore prolifico & genuino. Calor autem omniũ ferme operationum instrumentum esse potest: & præcipue in plantis: in quibus nec functionum nec particularũ multa diuersitas est. An quia seminales naturalesue rationes, loci nõ sunt capaces, ut quæ corpore uacent (aliter enim in paruo semine non caperentur) adeo ut uel in quãtulocunq; spatio, eas & si nimis multas comprehendi, nihil obstet. An quia principiũ est. quod uiribus robustissimum: magnitudine paruissimum esse solet. Illud autẽ attendendum magis est, ꝙ in frugibus quæ à tellure proueniunt, & demetrijs seminibus, uel semina appellare, uel fructus: & in plurimis herbis nihil adeo refert. unde & apud græcos promiscuo nomen fructus, pro semine usurpatur. in arboribus autem longe aliud est fructus: & semen id quod intra continetur. Nam uua quidem & ficus, & poma, & pira, & mespila, fructuũ nomine censentur: nuclei autem eorũ, uel acini, uel tria aut quattuor granula quæ intus habentur, seminis nomenclaturam merentur.

Cur pira

2 Cur pira à prandio esitata aluum mouent: & tamen astringente qualitate sunt prædita, ante ientaculum autẽ accepta, uentrẽ cohibent magis q̃ fundũt? An quia ante præmansa obfarciunt, atq; obsepiunt, uiamq; qua cibi cõfecti deijciũtur, præcludunt sua astrictione: post uero manducata os uentriculi corroborant, & in sese astringunt, ita ut deorsum protrudere, & exprimere esculenta possit. Nãq; ubi firmius ualidiusq; est osculum uentriculi, deuersum pessundat alimoniam. ubi uero imbecillius est redditum, redundant atque regurgitant alimẽta: & uomitus sæpius consequuntur. Hinc si quando hausti medicamenti uis: in stomacho diutius q̃ expediat, cõmoratur, nec aluũ citat, sed grauissimos casus inducit, uel piri ramentum, uel mali punici grana, uel cotonei fragmentum: præsentaneum' præsidium assumpta afferũt, indito ori uentriculi robore coactoque stomacho: moxque subeunte aluo.

3 Cur qui olea uel ficu consitum agrum efficere student, longius à uicino recedere iubentur, q̃ si aliud quod uis plantæ genus telluri traderent? An quia hæ arbores longissime radices producunt, & peragunt. An uero quia alimoniam subripiunt, & absumunt illis quibus uicinant, tum propter magnitudinem suam, tũ propter fructuũ ubertatem, & copiã: quos plurimos, & succi plenos & humoris edũt. An quia noxiam ex sese defluxionem & pestilentem halitum auraue transmittunt: quæ obesse possit uirgultis in proximo satis. Ob id igitur Solon (ut erãt ueteres illi tum rei rusticæ diligentissimi curatores, tum nullius ingenuæ disciplinæ ignari) rectissima ratione sanxit: ut qui aliam quãuis arborem sererent, per quinq; pedũ spatiũ à uicino abessent, at qui uel ficetum, uel oliuetum, non minori q̃ nouem pedum interuallo, ab agro contermino se continerent.

4 Cur cum omnia quæ urbana sunt, agrestia etiam reperiantur, betam tamen agrestẽ, diuersamq; ab ea quæ in hortis seritur, reperire non sit? Nã & homines: & canes in terra indica, & sues, & capras, & asinos feros inueniri constat, & arbores etiã herbæq; omnes quæ cultu proueniunt, eædem etiam sine rusticorum cura aut diligentia enascuntur. lactucaq; & malua agrestis (quam altheam dicunt) & pirus etiam num suapte sponte nascens (quæ achras appellatur) in campis, incultisq; locis offenditur. An quia amat irrigua loca beta: nã frigida & humida ui pollet, ac ob id non nisi ubi aquarum est copia oriatur. nec in arentibus siccisq; proueniat. Omne autem agreste siccius esse satiuo manifestum est. An uero lapathum, betã quis etiã agrestẽ dicere possit: nã & gustu non solũ, sed & uiribus illi perq; assimilis est.

5 Propter quid rosam natura muniuit aculeis? An ut eam ab iniurijs defenderet & tutaretur, ne se decerpi sineret. An uero ut maiori suauitate afficerentur legentes, & ut maiori subinde uoluptati esset eius flagrantissimus odor, fecit eam spinis ar-

nis ar-

nis armari, ut cum in decerpendo laborarent, & ceu pruriginem quãdam & uellicationem perciperent, magis eã uellere subinde niterẽtur, & intensiorẽ uehementioremq́; sentirẽt uoluptatem, quia quidam ueluti dolor præcessit. dati igitur aculei ut maior uoluptas ex ea: quadam legendi pugna nasceretur. An uero ut tacite intelligere daret difficilia esse quæ pulchra, & nihil magnum nec paruum sine labore consequi nos posse: proinde nobis intense enitendum, atq́; uigilandum, ut ex spinarũ & laborum amara molestia, suauissimos uirtutis & litterarũ fructus decerpamus. An uero ut hominibus: in omnibus: hoc ueluti argumento esse nemesin monstraret: ne fastu turgeant, ne ue insolẽter agant. sed post præclara & recte gesta inuidiã utique eos secuturam cognoscant.

6 *Cur suauius olet rosa, quæ habet umbilicum asperum? An quoniam earũ natura spinosa est, & propterea odora est magis, quæ ad naturã suã amplius accedit.*

7 *Cur lactucæ, atriplicis, maluæ, bliti, & aliorũ etiã holerũ quæcũq́; in frigidãdi & humectandi ui prædita sunt, tener cauliculus (quẽ asparagum græci dicunt) siccior sit: q̃ tota planta. brassicæ, uero, & betæ, sinipeos, napi, pyrethri, nasturcij, & aliorũ quæ acria & ex calefaciencia, gustuq́; mordatia sunt: caulis humidior sit: q̃ folia? An quia in illis radix imbecillior est: ut præripere à caule scapoue humiditatem & alimenta non possit. horum uero uis est ualentior: ut ad se omnem humorem pertrahant, qui in alimoniam foliorum concessurus erat.*

8 *Cur altheæ, napi, raphani, betæ, alliorum: ceparum, & aliorum id genus radices maiore ui polleant, ut discutere inflammatiuos tumores queãt (quod ipsarum folia non efficerent) in alijs autem ut plurimum: radices multa incocta & excrementitia humiditate scateant, & omnino sint imbecilliores? An quia in primis, radicibus uis & facultas præstantior est, ut quod optimum & concoctum est: sibi adiungant, quod uero superfluum & concoctioni ineptum ad folia trãsmittant. Perinde ut quorũdam animalium natura, meliore alimenti portione sibi conseruata, excrementosa in cornua, & spinas, & cutem, & pilos concedit. in reliquis autem humor crudus & crassus obtineatur, qui non nisi in folijs & caule, ad quorum transmitti alimentum debet, perfectam concoctionem & elaborationem consequatur.*

9 *Cur cedria: hoc est cedri lachryma resinaue: uiuentia perimit, perempta custodit? An quia tametsi quarto calfacientium ordine caleat, proindeq́; adurat, imbecillimã tamen uim inter oĩa erodẽtia medicamẽta (quæ q̃ putrefaciẽdo internitionẽ afferãt, septicà græci dixerunt) habere eam cõstet. In uiuẽtibus igitur uitali adiũcto calore sumit uires, & accẽditur: atq́; ita iugulat. mortuis uero illinita putredinẽ & uitiosos humores exterit & absumit, quibus discussis incorrupta seruãtur.*

Cur pluuialis

10 *Cur pluuialis aqua satis & seminibus alendis commodissima omniũ censetur? An quia ex alto magno impete cadens, magis in imas radices petere & peruadere potest. An quod tenuissima & omniũ optima est, quod alterationis celeritas testatur. quare nõ iniuria meliorem germinibus à terra prodeũtibus alimoniam præstat.*

11 *Cur ubi in labrum calentiũq; aquarũ thermas ingressi sumus (si mingere contingat) frigidum lotium sentiamus? extra uero calidum. An quia licet suapte spõte caleat lotium, multũ tamen relinquitur ab ea quæ in balneis est caliditate, atq; ideo frigoris sensum inducere potest, quia quod minus calidum est, cũ nec parem tueri calorem, nec maiorẽ producere possit, ab eo quod magis tale: frigidum iudicatur. Cũ uero extra soliũ prodiuimus, simusq; ab aeris occursu apertos meatus inueniente: refrigerati, non iniuria lotium calere censemus: quod aeris frigiditatẽ emendet. An uero quia acre & mordax lotiũ est, dũ calidis balnearum aquis lauamur, atq; perfundimur, per patentiores meatus magis penetrans: neruos irritat atq; lacessit, quibus acri hũore pũctis, rigorẽ sequi, quassariq; corpus, & frigore hoĩem cõcuti, necessum est.*

12 *Cur uenena calida ocyus perimũt, frigida tardius, cũ utraq; uim habeãt necãdi? An quia frigidis innatus calor cõtra sese fert, atq; repugnat, tãdiuq; renititur, quo ad superatus uictusq; extinguatur. at uero calidis non resistit: sed tanq̃ congeneribus collætatur. An quia calida uenena quæ erodendo uitam adimunt, nostro calore tanq̃ organo aduersus nos abutuntur, nosq; (ut fertur) nostro gladio iugulãt. Nãq; totum, ferme hoc, quo nos mori faciunt, à nobis mutuantur: q̃uis quædã: portione, ad maiorem calorem: quædam ad minorẽ inscendere possunt. Hinc sæpius accepta uenena senes non occiderunt, quia debilior illis calor in corpore erat, q̃ ut cõniti ueneno, illudq; alterando, opẽ ferre, aut fomitẽ præbere posset. Quã itẽ ob causam iuniores calidis assumptis: senes uero à frigidis: extincto exiguo calore, quo uitam trahũt: citius mori constat. At frigida deleteria: præter hoc q̃ cõminuũtur, nihil à calore nostro accipiunt, sed ipsa innata sibi ui agunt, tandiuq; cunctantur, quo ad uel peruincantur, uel lento exitio tradant. Merito igitur calentia pharmaca citius morte condẽnant, quia uis geminata ad necem properandam cogit. An quia non prius uenena occidũt, q̃ uis ueneni ad cor usq; perrũpat, & pertingat, graueq; illud uirus cordis sedem arcemq; occupet. calida itaq; cũ aperire possint, & uasculorũ osculis deducendis aptissima sint, citius ad uitalia proserpũt. frigida autem tardius lœtũ inferũt, quia magis morantur. Hinc ieiunos: ut pote uacuis uenis, nullo obstãte, quin uenenũ permeet, uenena ocyus intercipiũt. Et si à ueneno accepto somnus occupet, festinata mors consequitur. quia reciprocus calor uenenum in uiscera magis immittit, atq; introducit. Hinc quæcũq; uenena somnos conciliando: eripiũt uitã, magis*

Senes non a cali do Veneno occisi

Ieiuni citi9 Veneno perimuntur

Somn9 in Venenis lœtalis

Aspide Morta Cleopatra

magis sunt pernitiosa. Hinc aspidis exitiale uenenũ: quod blãdo sopore mẽbris obducto, citissimam pernitiẽ affert. Quo sibi AEgypti regina Cleopatra (cũ charo Antonio mortuo: uiuendũ sibi non amplius duceret, nec alia uenena experiri uellet, quae & si mortem citam consciscunt, grauissimis tormentis torquerent) ut pote mortem per somni delitias agente: serpente colo aurea prouocato: quẽ pyxide seruarat, brachioq; ad plagae ictus oblato, uitam misere finiuit, ne in manus Caesaris: currus sequens uictoris, captiua duceretur.

13 Cur cum in agris frumenta deglubuntur, atque demetuntur, quae sunt meliora, minus palearum, culmorũq; relinquunt? An quia quantum cũq; ab alimonia tritici degenerat, atq; aberratur, & infoeliciter disperditur, id totum in stipulas, harundineosq; leuesq; calamos abit: & conuertitur: & agricolarum uanis aristis: area frustra terẽte culmos: spes deluditur. nec quicq; tunc (ut Poeta ait) ex alto Ceres despectat Olympo. Nõ abs re igitur quod optimũ est: atq; generosum far, minimas paucasq; dũ in aeris tritura laboratur, aristas hoc est spicarum aridos cuspides (quas graeci athéras uocarũt) ex sese mittit, exiguãq; glumã paleãq; (dũ falce segetes amputantur) efficit: uẽtisq; diripiẽdas iactat. Sic cum in aruis amygdalus (quam nostri nucem graecã appellant) in florem ramos curuabit, si superant fructus, multas nuces dabit, sin foliorum exuberet foetura: perpaucos. sic cum bene ualemus & alimenta in corpus conficimus recte, perparum excrementorum sequitur: at cum multa excretio urinae, sudoris, & alui superfluitatum fit, aut pedũculi generãtur, uel in intestinis uermes, tota tunc aut magna eius pars alimenti: quo alenda erant membra, perit, ex qua corrupta animalcula illa ortum habeant: & morbi ex plenitudine putredineq; infestant: nec totum adhuc à nobis malum propulsauimus, nec incõmodam arcuimus ualitudinẽ, sed lacessita atq; culpata corporis utimur firmitate.

14 Cur delatores qui factum aliquod crimẽ cõmonstrassent sycophantae sunt dicti? An quia cum Solon: qui Atheniẽsibus rẽpublicã constituit, ut bono publico consuleret, legem tulisset, ne cui qui mercaturam faceret liceret: extra fines patrios alicuius rei praeter olei uecturam facere, ut ciuibus & annona, & reliqui fructus superessent potius, nec petere ab exteris opus haberent. Cũ autem quidam quo uberiores quaestus facerẽt, in peregrinas terras & emporia: lucri causa etiam ficuũ & caricarũ palathas: praeter morem patriũ deportare ausi forent: deprehensiq; essent, in illos quidẽ est acerbe uendicatũ, at qui factum indicarunt, sycophantae à ficuum monstratione (quod nomen indicat) sunt appellati: quod ad alios quoscũq; qui per calumniam alteri nocuissent, uel per delationem quippiam confecissent, paulatim coepit transferri.

Cur est φ

15 Cur est quod Romani duces eũ qui ciuẽ in bello seruasset, & protegisset ab hoste, corona è quercu donãdum censuerunt? An quod parata & facilis inuẽtu ea arbor est, & ubiq; ferè nascẽs, ita ut nullibi defuturũ sit: quo bene meriti præmiũ honorẽq; (quẽ maxime liberæ mentes cõcupiscunt) assequantur. An potius quod antiqui quercũ grandi in ueneratione habuerunt, quoniam cibus fuisset ueteribus mortalibus ex ea nata glãs, & mel pro potu exhiberet, & uiscũ ferret, quo plurima tũ alitũ tum quadrupedũ uenarentur, unde cibos cõficerent. Vel quoniã quercus hoc habebat peculiare, quod inter agrestes arbores mitissima sit, & pulcherrimum fructum producat, inter domesticas autẽ & urbanas mansuetas ue robustissima. ut scilicet innuerent militares uiros, & mansuetudine & robore præstare debere.

16 Cur ruta calefactoriæ existens potestatis ueneris appetentias coercet? An quia calet admodũ & siccescit & tenuiũ partiũ est, adeo, ut cõsumat genitură, & discutiat flatus qui admodũ in re uenerea possunt. Vnde in bello nec edendã nec serendã hanc herbam tradũt, quia semen ipsum depabulatur, in quo haud minima uis ad robur est. Atque cõsimili ratione desiccatiõis & caloris: agni fruticis semẽ bibitũ uenereorũ impetus castigat. Quãobrẽ Athenis mulieres Cereris sacra faciẽtes totos huius uiticis ramos (nã & subiecti etiã eadẽ ui pollẽt) sibi substernebant, nè per sacrorũ tempus à libidine tentarentur.

17 Cur abrotoni cinis cũ oleo raphanino lẽtiscinoue inspersus, mentum tarde subfruticãs pullulare facit? An quia abũde calet & mordax est, ut in penitiora ingruat: quæ oĩbus cineribus accidũt, & ijs præcipue quæ ab acribus amaris ue herbis relinquũtur, & rõne sue subtilitatis rarefacit, quã sapor eius amarus ostẽdit, q nõ nisi in terrestri substãtia à calido copioso subtiliata cõsistere nouit. atq; hinc & prouocare excremẽta potest, quæ ad barbicij generationem conueniãt, & meatus aperiat, & reddat patulos: unde pilo prodeunti pateat egressus.

18 Cur ad incipiẽtes panos & efferuescẽtes adhuc phlegmonas: maluæ qdẽ & atriplices in hortis satæ sint utiliores: ad declinãtes aũt agrestes? An quoniã illæ qdẽ, ut hortulana oĩa, & frigẽt uberius & humescũt. Quo circa & ad repellẽdũ & ad cõspergẽdũ inflãmationũ ardorẽ magis cõmẽdãtur. at uero mõtanæ quia siccescũt amplius, ad desiccãdũ & digerẽdũ per halitũ multum adeo in declinantibus præstant.

19 Cur si quis quodpiã bellariũ ex sacch aro confectum, aut re alia quapiam eiusmodi dulci deuoret, mox ut in uentrem ingessit, sitim perpetitur? An quoniam omnia ea, tãq; si guttulam olei in ingẽtem pyram ignis instilles, confestim ab interno calore deuicta, innatumq; feruorẽ augescentia, humorem ab ore uentriculi exhauriunt, quo cõsumpto, hũore conspergi: atque prolui capacibus poculis homines appetunt.

18 Propter quid Romani fortunam hoc nomine nuncuparunt? An quia cum multas excidissent urbes & plurima oppida expugnassent, & gentes innumeras in ditionem recepissent, & nonnulla non uicina adeo uirtute: quãtũ prospero & fœlici euentu atq; successu, confecisse uiriliter & fortiter uiderentur, cum se maximam rerũ molẽ summamq; consecutos beneficio fortunæ cognoscerent, atq; eo nomine plurimũ se illi debere faterẽtur, eã subinde hoc cognomẽto uocarũt. Dicta igitur fortuna est quòd fortes & audentes fortuna faciat.

19 Propter quid pyramides: illa quondam toti orbi sæculoque miracula, hanc nomẽclaturã acceperunt? An ab specie igneam figuram referente (pyr enim ignis est: à quo pyrethrum herba supercalfaciens, & pyretòs febris) nam in acutum fastigatumque capitellum tendebant, in acuminatum mucronem desinens. An uero à po tón pyron hoc est à tritico, cuius ingens uis in illarũ extructione insumebatur, multis hominum milibus conductis & innumerabilibus seruitijs: quo operam impenderent, & tantæ molis structuram ædificarent.

20 Propter quid cicer, faba, ordeum, triticum, ficus, nuces, & denique tan cerealia semina, quam arborei fructus, & legumina, omnia eo meliora censentur, quo in aquam iniecta citius remollescunt, & in maiorem molem consurgunt? nam is probatissimus eorum bonitatis est modus. An quia signum est ea à calore nostro natiuo facile permutari posse, ut quæ non admodum compacta & duriuscula & reluctantia sint, sed raros frequentesq; meatus obtinentia, quos subingrediens aqua attollat. quæ uero talia sunt ea ad sanitatem multum cõferre, nemo qui limina medicinæ salutauit: ambigere potest. Quippe in hoc stat bonorum alimentorũ ratio, ut celeriter uincantur, & superentur à nobis. sic & ea optima est aqua, quæ calorem & frigus cito suscipit, ut dicit Hippocrates Asclepiadum honos.

21 Cur colocynthis .i. cucurbita siluestris cum sit amarissimum pharmacum, non adeo si sumatur, effectus amaritudinis edit? An quia prius exire præuenit, propter uim purgatoriam, quam habet, quam exercere facultatem possit. sic cinnamomum quãuis admodum nimis caleat, & siccescat, non tamẽ adeo desiccat, quia propter tenuitatem partium minus moratur. Zingiber autem & piper longum: q̃uis non magis calescant, quam aliæ piperis species: diutius tamen permanentem propter crassitudinem imprimunt calorem. quocirca illorum quidem tunc usus est, cum citæ calefactionis totius corporis opus est. his uero tunc uti expedit, cum longius duraturam ad aliquam particulam infrigidatam, excitare caliditatem uolumus.

22 Cur tabidi à cibo sũpto calescũt, ut alia noua accessio sine rigore, aut extremorũ frigore irrupisse uideatur? Utrũ quia à cibis calor & sanguis spirituũq; copia multiplicentur

tiplicetur, quæ perinde ac frigidæ conspersio caminum ardentem magis conflagrare facit, ita aridum tabidorum calorem suscitant, & expergefaciunt, ut qui antea non sentirent febrim, quæ iam abierat in habitum: tunc tandem persentiant, eoq; maiorem uim habeat conspersus, & humoris pabulo irriguus calor. Vnde non extemplo concalescunt, & nouæ accessionis percipiunt sensum, sed tam longo interuallo, quo ascendentes halitus ab alimonia iam aliquatenus confecta: recalfaciant, & scādant ad membra, à quibus prompte adeo & celerrime suscipiuntur, eo q; nulli obstent humores, aut materies quæpiam: ut in cæteris febribus: quæ aditum prohibeant, & membrorum attractix facultas ualentius operetur, nulli alteri muneri intendens. Cibus autem etsi quomodocunque febrientibus datus, post horas calorem inaugeat febris: nō tamen id conspicuū adeo est, quia & anteq̄ cibū assumerent, grauē etiā & efferuescentem satis calorē perceperant. quod non cōtingit in tabidis.

22 Cur malua & nonnullæ aliæ herbæ solem circum obeuntem sequuntur (adeo ut inde Heliotropij nomen meruerint)? An propter congenitam quandam herbæ & sideris affinitatem. alias nāque Iouias, alias Saturnias, ut alias Solares esse tradunt. An potius quia quá sol tendit, humorem omnem absumit, unde ab ea parte procūbunt & nutant, ut Phœbum, inclinato ramorū uertice, adorare uideātur.

23 Cur matellæ uitreæ uetustate fiant leuiores. cum ex pinguitudine lotij aliquid contraxisse ponderis par esset? An quia urina sua acuitate & acritudine penetrans in meatus, aliquid etiam de substantia, tempore detrahit, & consumit. unde & fullones: ut qui probe eius uim norint, ea, ad sordes uestiū detrahendas & emūdandas, passim uti uidemus.

24 Cur nonnulla calentiora euadunt: alia minus calida fiunt dum comburuntur? An amara quidem quæ sunt, & ijs adhuc magis acria (dryméa uocant) quæ suapte natura amplius calescunt, multum de calore amittunt, ut allia, cepæ, & scylla, quæ non nisi tosta tussientibus, aut aliquid à pulmone expuentibus propinatur. quæ autem astringunt omnia uel frigent:, ut styptica, & acerba, & acida, calorem ab igne acquirunt. Nullū autem ex ijs quæ ignibus torrentur, exacte frigidum manet. ut enim quodcunque in eis humoris erat, absumitur, ita & ignitabulum quoddam in cunctis: quæ flammis uruntur, & subtile quoddam ignis insigne, relinquitur, quod igneam in se caliditatem conseruat.

25 Cur sub æquatore uenti q̄ facillime permutātur? An ꝑpter solis uelocissimū transitum, citatissimo nanque motu per eas partes cietur, cum maximam orbitam peragat. Cū igitur non perstet diu in eisdem locis, sed momento stationem permutet hinc uētorum tantam uarietatem excitare natus est. hinc nauigantibus ad æquatori subiectas plagas uenti, facile permutari solent.

LIBER SECVNDVS, CVIVS SVNT QVINQVE SECTIONES.

SECTIO PRIMA MISCELLANEA multa, & uaria problemata continens.



Vid est quod uates & naturalis philosophus, eodē signo inspecto, idē de eadē repronūciare possūt, cū diuersi artifices sint? An ꝙ alter rei causas quomodo sese habeant, & quid nata sint producere: considerat. alter finem, & propter quid, ad quē illa referuntur, mēte concipit. quare absurdum non est, si uterq; de eodē negocio idem iudicium proferat. Quale accidisse fertur Lāponi fatidico, & physico Anaxagoræ, nā cū arietis caput, unico in media frōte ualido cornu, insigne fuisset delatū, prædixit Lampo, ꝙ cū binæ essent in urbe factiones potentatus ue, totā ad Periclem fore conuertandā ciuitatē, atq; ad eum unum rerum arbitriū prouenturum. idē Anaxagoras ostendit: considerato capite, eo ꝙ cerebrum non repleuerat uasim totā, sed acutū instar oui existens, utrinq; in eam potissimum partē defluxisset, unde cornu radix erumpebat. atq; huius quidē sermo magno fuit plausu à cunctis exceptus & approbatus, quia physicā habere rationem uideretur. paulo post autē Lāponis præsagium miraculo haberi cœpit: euentu succedente.

2 Cur de ijs quæ sub lunari sunt globo: magna inter philosophos contentio & digladiatio esse solet? An quia unum, multitudine, oībus notius est. Vnde deū nōnulli asserētes, dæmonas mētesq; negabāt. alij hæc ipsa cōcedētes, heroicum ordinē tollebāt. Superiorū nāq; & uniuersaliū prōptius meminimus, proximorū autem & uicinorū obliuiscimur. An quoniā propter illorū uarietatē, incōstātiā, & cōtinuā mutationē, nihil de ijs certi haberi potest, cū rerū eodē modo se habētium sit sciētia. Hinc Socrates naturam relinquēs, ad mores & rationales artes (logicas uocant) se trāstulit; illiusq; tēpore: diffiniēdi & diuidēdi artificiū maxīe excultū est. Arist. aūt cū 8. aut plures mētes, cælestibus orbibus mouēdis adhibuisset, totā æthereā & suppositā plagā, perinde ac si nulla ꝓuidētia regeretur, nauis instar temone clauoq; carētis: sine delectu ferri permisit. Sed Plato cū deorū, aīarū, dæmonū genitū exacte diffinijsset, ne quicq; deum in uota petiuit. de informi autem, & specie destituta sylua, sermonem habiturus, diuinitatem uocauit, quæ ex procellosa tempestate, & ueluti turbida iactatione freti, dicentem eriperet. Idemque non ob aliud sane ideas introduxit, quam ut esset de quibus scire possemus. ijs adde: quod diuinorum firma & stabilis scientia est, mutabilium autem mutabilis & incerta. Hinc mathemata certissima sunt, quia quāuis de lineis, figuris, schæmatismis, quæ nisi in materia esse non possunt, peragant: à motu tamen abstrahere consueuerunt. Oīa uero subtus

lunam

lunā instabili agitatu, & sine ordine ferūtur, & nunq̃ nō permutātur, fluorēq; substātiæ admittūt. quicquid uero de superis dixit Arist. ꝓbabile id esse certissimū est.

3 Cur subiectum quod formas recipit, materiæ siluæq; appellatione nuncuparūt? An quoniam uelut hæc informis & rudis est, conformari tamen potens, si artifex manus accesserit, ita & hæc decolor & omni carens qualitate, nullamq; peculiarem formā & speciē habens, unam quāq; passim sibi induit, quancunq; impresserit formator. Viri autē naturæ scientißimi hanc fœminæ assimilem eße dixerunt, ꝙ uelut auidaquadam & nunq̃ satura uirorum appetentia turgeat, ita & hæc nunq̃ in semel assumpta specie libens conquiescat. Vnde materiæ nomē de cælesti & hac dictum æquiuoce uolunt, ꝙ illa perfectissimam formam habens (quæ inanima esse nō potest) qualē præstātissimū corpus sortitū eße decet, nullā amplius appetat.

4 Cur mundus indißolubilis semper peremnat? An quia nihil mundo & uniuersitati perit. id nāq; interire dicitur, quod fluit extra id totum cuius pars est. Quicquid uero intra mundum innouatur, intra eius ambitum continetur. ut si aqua in aerem transeat, uel unum ex alio elemento nascatur, naturæ quidem uniuersali nihil interim decessit, quia aer in illius locum subrogatur: nihilq; auolat extra, aut dissilit, sed intra cōseptū eius manet: semperq; ex integris suis partibus constat.

5 Cur elemēta nec substātiæ ꝓprie, nec accidētia dicūtur? An quia ex illis ceu ex principijs internis copora cōposita oīa & substātiæ cōstant, quod nō cōtingit ijs quæ accidūt, & inhærēt in subiecto. nec uero substantias appellare licet, sed quæ ex illis mixta cōficiuntur. non absre itaque inter utraque locū mediū sortita recēsentur.

6 Cur in formæ substantialis ingreßu, primo sequuntur accidentia propria: deinde uero communia? An quia illa suapte sponte formam concōmittantur, & ab illa fluunt. hæc uero ut quantitas, color, & reliqua in materia inuitantur.

7 Cur magi in excantationibus: & inuocationibus, uocibus quibusdā interdum nihil significātibus utūtur? An ut uulgo imposturā & fucū faciāt, (quod peregrinas magis, & ignotas ferè uoces in admiratione habere consueuit.) Sicut eos medicos magis in honore habent, q̃ noxia & perniciosa pharmaca, sed ab ultima barbarie cōuecta ꝓpināt, q̃ qui cōmunibus & ab horto petitis herbis curationē aggrediūtur. An quoniā nō ipsæ uoces dictiōes ue sūt, quæ suapte spōte aliquē sortiātur effectū, aut aliquā aliam uim habeāt, sed ad illarū prolationē, ꝓpter innatū quēdam dicētis ipsius affectū, & cōpassionē ad diuina, uis aliqua à supernis influit, & illabitur, q̃ nihil minus per nō significātes: q̃ significatiuas dictiōes trāsmitti & deriuari potest, tanquā per quosdā canales, quorum ora sint correspondentia oscillis canalium superiorum. An quoniam eæ ipsæ dictiones (quæ apud nos nihil adeo significant)

 cant)

cãt) earum significationes sunt praeceptae: qui omnium gentium linguas nouerunt. nã quae apud Graecos (si ita res ferat) nihil significat uox, apud Arabas, aut Persas peculiarem significationem obtinet, & apud alios eaedem dictiones longe aliam significationem habere dignoscuntur. Quo fit ut nulla sit dictio tam omni carens significatu, quam non magici magnam quandam habere uim ad auspitia & connexus imorum cum summis arbitrentur.

8 Quare aurum fuluũ est? An quia plures habet, qui insidientur, ut aiebat Diogenes. An uero quia ipsum opulenti & diuites homines seris, & arculis, clausum & obseratũ retinent. Sicut igitur qui compedibus durisq; catenis uincti diu in carcere & ergastulis perstiterunt, pallent: cũ in lucem prodeunt: ita & aurum cum ex tenebris quibus illum abdiderũt defossum & obsignatũ, in diẽ erũpat, non immerito pallere cõspicitur. An uero gratiosissimis philosophorũ: & ijs qui fabulas cõmẽtantur: talia dicere permittẽdũ est. nobis uero ingenue philosophãtibus ueriorem eius rei causam inuestigare decet. An igitur talis in auro obseruatur color eo quod argẽti uiui quod materiae uicẽ subit, & sulphuris quod parẽtis loco est, ex q̃bus oĩa metalla cõstãt, portionẽ syncerissimã & depurgatissimã obtinet. Vnde & flauius est aurũ: quod in uenulis lapidũ aliquãdo reperiri cõstat, quia calẽs uapor halitus ue: ex quo auro generatio, ibidẽ cõclusus: perflari ꝓhibetur, & elegãter decoquitur. quodque apud littoreas arenas minutissimis micis ramẽtisq; colligũt, magis ab aurificibus ꝓbatur, quia per frequẽtẽ ablutionẽ detergitur. quae q̃uis nimium quoque pura in argento insit: superat in eo tamẽ hydrargyros: ut sulphur in auro, in quo haec cõmunia omniũ metallorũ elemẽta cõpactiora sunt, adeo ut nec ignibus traditũ quicq; deperdat, sitq; malleo tãtũ ductile q̃tũ nullũ aliud, unde nedũ in laminas: sed in philacteria & fimbrias adeo tenuissimas deducitur, ut uel oris flatu leuiore rapiatur.

9 Cur imagines & statuas sudare aliquãdo cõtingit? Nã id saepius factũ proditũ est, aliqua clade aut calamitate imminente cõmunibus rebus, aut cũ fatum & exitiũ alicui Heroi aut principi uiro portẽditur: qualia euenire uisa sũt, anteq; praeliũ & acies cõmittãtur. ut Anto. de oĩm rerũ & totius imperij sũma cũ Caesare decertaturo, ita eius lapideas imagines sudasse per plures dies cõpertũ est, ut cũ abstergerẽt q̃dã, nõ utiq; tamẽ cessaret. An quia ex hũiditate nimia earũ ĩteruenia saepius turgeãt: qua ex imo ꝓdeũte, saepius aliquis humor circa eius superficiẽ congregetur, ut nihil mirũ sit si & sudantia & lachrymas fũdẽtia, & guttulas aliquas sanguineas emittẽtia simulachra appareant. nam id & in lapidibus, & lignis nõ multo ante deiectis in terrã atq; cõcisis fieri cernimus: ut cum intus plena liquore scateãt, in extimis itẽ partibus copiam colligunt, atq; acceruant humoris. An uero quia tempore

humecto

humecto spiramẽta earũ multo aere completa, in aquam ui frigoris conuertuntur, quæ deinde fluens, suo fluore ita rigat statuas, ut sudantium speciem exhibeant. nam & fontes in mõtium cauis: non aliter fieri omnibus in confesso est. An quia ueluti sal aqua conspersum in liquorem soluitur, ita longo tempore & uelutisenio confectæ imagines resoluuntur, & liquantur in quandam colluuiem, & laxantur algore & diffluuntur. An quia cera illitæ, & conglutinatæ ut plurimum esse consueuerunt, quæ quidem aut solis æstu, aut ignis incendio exæstuare potuerit, quod quidem eam liquido à sole pati uidemus. An uero quia ex cedro cõstitutæ, quibus insitũ hoc à natura est, ut humorem reddere soleant, ita ut deorum simulacra interdum sudare (quæ commodissima olim hac ex arbore fiebant) reputentur. Causa uero cur tempore ancipiti, & dubio rerum statu, cumq; magna in se ruunt, id cõtigisse fuerit obseruatum, non nisi in casum referenda est, nam & id cum mũdus secura pace & tranquillitate fruitur, euenire nihil obstat.

10 Quid est autem quod uocẽ quoq; emisisse, elocutaq; esse eadem quoque traduntur? An quia aer discurrens per occultos meatus, & uiolentior uenti fluctus: strepitus aliquos ciat, gemitibus & mugitui similes, quales collisæ arborum frondes zephyro, susurros edere solẽt. An uero id euenire potuerit, propter ruptionem aliquã, & abscessum, & diuisionem in profundo partium uehementius factam, ut quispiã fragor perciperetur. fieri uero id nequit, ut uox perfecta & (ut Græci dicũt) artistomus: à simulacris edatur, cum ea: organa rationalia quibus uox cudatur, expostulet. ut pulmonem, laringa, pectus, & ultra hæc. animalia quoq; forent ratione prædita: si uocẽ quãpiã efferrent. quippe uoces ipsæ symbola mẽtis existũt. Quòd si fantes imagines, uocesque reddentes se auribus percepisse: nonnulli testentur, ut derogare fidem ijs: impiam rem atque indignam existiment. ijs adeo respondendum est: similem quendam sensationi affectum, factum esse forsan in phantastica animæ potestate, quæ uisa diiudicat, ut persuaserit existimationem, se rem eodem pacto habere, qualiter apprehendit. quemadmodum euenit in somnijs ut uidere nos credamus, nihil tamẽ uidẽtes, & etiã uoces aliquas audire, aut si ita cõtingat ingẽtẽ strepitũ, cum tamẽ nihil horũ uere existat. An uero fieri id quidẽ potuerit, sed non ui aliqua hũana, magnumq; præbet argumentũ ad fidem de hoc faciendã, ꝙ admirationẽ secũ affert, quodq; cũ nõ sit, ex ijs quæ fieri apud nos soleãt, deo id auctore atq; eius uiribus factum esse contigerit. Nec enim deus homini aut naturam assimilem obtinet, aut motum, aut artem, aut par robur ac homo sortitus est: sed nec omnino in aliquo homini deum conferre fas est. qui si quid faciat eorum quæ nobis factu impossibilia sunt, aut moliatur aliquid eorum, quæ nos nulla industria architectari possumus,

 non pro-

non protinus id absurdũ & à ratione alienum est. Verũ enimuero cum in omnibus rebus præstet homini deus, longeq; ab eo differat, multo magis in operibus dissimilis, & diuersus esse putandus est. Multa tamen diuinorũ si fugiãt, nec cognoscantur à nobis incredulitas impedimẽto est: auctore Heraclito. Meminit uero Arist. machinatorẽ fabricæ Dedalũ, ligneolã Venerẽ ita affabre fecisse, ut agitaret sese & gestus cieret. uerum nihil mirum est, si fusili argento infuso, quod quidem stare loco nescit: motabilem reddidit.

11 Cur uero eadem simulachra pallentia: aut ueluti cruoris quibusdam notis nonnunq; conspersa apparent? An quia tum ex seipsis, tũ uero ratione ambientis multos emittũt colores, & recipiunt tincturas, & inficiũtur, prout suscipere nata sunt. sæpius & pulueris tactu nitorem fœdata deperdunt.

12 Cur animam essentiam corpore carentem esse diffiniunt? An essentiam quidem, quia contrarias affectiones, uidelicet ignorantiam, & disciplinam, magnanimitatem, & timorem, iustitiam & iniuriã in se suscipiat, ut corpus sospitatẽ & ægritudinem, pulchritudinem & turpitudinẽ. hoc autẽ substantiæ peculiare est. essentiã autẽ corporis expertẽ: quia corpus corpori adiũgi non potest: nisi aut commixtũ, aut applicatũ. si uero hoc, non facerent unum aliquid, sed duo essent, quæ sibi inuicem appellerẽt, uel miscerẽtur. Per cõcretionẽ autẽ subire & ingredi, diffundique per omnia membra non posset. quia corpus peruadere non potest corpus. Ex quibus incorpoream animã (ut tradũt Platonis æmuli, & dogmatum ueluti per successionẽ hæredes) esse liquido constat, si omnes artus fermenti modo, inficere uitali spiritu, & informare debeat.

13 Cur undarũ motus quos Auster excitauit, ponente uẽto non quiescunt, quos autem Boreas sustulit: mox ut flare desijt, sternuntur & conflacescũt? An quia Aquilo ab excelsiore cæli parte perflans, nõ adeo cõmittit inter se undas, aut ꝓtrudit, sed eruit, & ab imo ad summũ reuoluit: auster autem non ab editiore, sed uergẽte, & inclinante plaga procumbens, obturbat & impellit undas: potius q; eleuet, & in cumulũ tollat. Quo fit ut hoc nõdũ uentilante, mare tãdiu fluctuet tamen: donec inter se agitati sponte fluctus: mutuos concursus & pugnas deponant, illo autem quiescente, mox subsidet maris tempestas oborta.

14 Cur missilia rectius ab imo ad altum contorquentur? An quia molis ipsius grauitas, cum quid deorsum iactatur, ipsa etiam mouens, dirigentis ictum impediat. certiores autem sunt iactus, cum ab imo in sublime: tela, ut lapidem, ut sagittã mittimus: quoniam recta eò ferantur, quo pellentis oculus collimauit.

15 Cur in AEgypto quidem & regionibus, quæ á media constitutione ad ca-

lidam & siccam temperiem declinãt, loca ad mare posita temperatiora sunt? in locis autem frigidis & humidis ut Thracia: quæ à mari longius recesserunt, minus tepescunt? An quoniã in ijs loca ad maris littora posita humiliora sunt, quæ suapte natura magis calere solent. unde & depreßi ualles excelsis montibus calidiores, & ima aeris regio plusquã media: propter reflexionẽ & directiorem percussum radiorum, qui ad summa pertingere nõ possunt. In AEgypto autem quæ urbes nõ procul à mari sunt conditæ: non æque sunt calidæ, quoniam æstatũ ardores his in partibus, arctois flatibus, & marinis erumpentibus auris refrigerantur.

16 Cur prope littoris oras auræ nunquã non blandius spirant? An quia à salo multi & crebri halitus ui cælesti erũpũt, unde flamini est genitus: qui (nisi sole agẽte: humido depasto arescant) in media aeris regione pluuias collecti suscitant. Vnde mari regiones proximæ uentosæ, aut pluuiales sunt magis. quæ uero á freto longius absunt, niuibus amplius albescere solent.

17 Cur pestis ex AEthiopia ueniens: ad Illyricum, & Græciã penetrasse potuit? ex quo Periclem mortem obijsse tradunt. An quoniam hoc malum contagio serpit, & facile in omnes deriuari potest paulatim: qui eundem aerem spirant. Tria enim sunt morborum genera, quæ maxime ad alios noxam transfundere consueuerunt. pestis: cum lues communis populum inuasit, & oculorum lippitudines & affectus, & pulmonis uitia & tabes, ad hæc cutis defedationes & lepra.

18 Cur apud Romanos si qui tabe, aut aqua intercute, aut alijs id genus noxijs morbis perijssent, dum parentes ignibus traderentur, eorum natos in aquis pedes habere mos erat? An quoniam eas ægritudines contagiosas arbitrabantur, & in filios transfundere poße propter affinitatem eas noxam putabant, & uitatũ iri malum poße, ea ratione credebant, si filij interim in lymphis pedes continerent.

19 Cur nonnulli non solum extraneos: sed etiam notos, & proprios natos fascinare possunt? An quia odium & inuidia causa sunt fascinationis potißima. Ergo simulac aliqui liuorem, & inuidiam animo conceperunt, sanguis intus feruescit, & spiritus atri, & craßi, & uenenati, liuentesque redduntur, perque oculos partem corporis rariorem subeuntes, ad id quod fascinatur, deriuantur, illudque cõsimili modo afficiunt. Idcirco autem nõ seipsos fascinant, quia quod naturale est, damnũ & noxam inferre nullam potest. Propterea autẽ & liberos fascinando nõnunquã perimũt, quia peruersum & corruptũ habent corporis habitũ, & plærumque prauis & iniquis luminibus respicere consueuerunt, itaque interdũ sibi ipsis temperare non possunt: quin ea effascinẽt, quibus bene uolũt. Ita qui irasci sunt celeres, uitium nõnũquã tegere nequeunt, sed leui quacunque de causa cõmouentur, & ad aliquem locum currentes

rentes: sæpius propter uehementiam ultra metam deferuntur.

20 Cur naufragorum corpora, post dies aliquot ab imis gurgitibus emergunt, & fluitare noscũtur? An quia pulmones suapte natura, ritu spõgiæ, cani & fistulosi, multo interim spiritu & aere completi, in sublime propterea attollendi uim habent. Vnde in historijs de sicario traditum est, qui à se peremptos pulmone euiscerato in pelagus præcipitabat, ne homicidium à mari proderetur. Nec dubitãt nonnulli: quin aliquis tanta ui, spiritum trahere & retinere queat, ut inflatis pulmonibus, nihil deprimente corporis pondere: super aquas se sustinere possit.

21 Cur nonnulli diutius famem sufferre consueuerunt? An propter diuersam tẽperaturam uel habitudinem uẽtris. Nã qui biliosum habent uentriculi oscillum, minus inedias aut esuritiones transmittere possunt, sed qui pituitusiores habent uentris superiores partes, ij dapum inopias innocentius ferunt, ꝙ pituitosus humor interim in sanguinem concoquitur, & transmutatur. An plus rursus uentriculos spatiosos habentes, minus fame molestantur, ꝙ amplus magnusq; & late distentus uenter fulciat, atq; refirmet uiscera, ne sibi suspensa esse uideantur. Angustus autẽ & minimus uenter cum cibo inanis, & uacuus est, mox in se contrahitur & nullum munimen uisceribus præstat, ut refirmentur, nihil ut mirum, si ij magis fame afficiantur, ut per aduentum cibi pendentium uiscerum lassitudo tollatur.

22 Cur in eclipsi defectu ue solari tonitrua exhiberi nata non sint? An quia in deliquio solis calor imbecillus adeo est, ut nullos halitus aut raros adeo suscitet, ex quibus tonitru cieri, & concuti cœlum posset. An quia licet multi halitus in sublimi consistant, & eleuentur, ij tamen tonitruis gignendis non queũt, quæ ex aridis & plus satis calentibus exhalationibus, in media aeris regione cum frigore pugnantibus, rũpuntur & prodeunt. nec ullus calorem qui agitet, ut uapores illos cõmisceat & in unum cõmittat, ut tonitrua moueantur.

23 Cur solem multum matutinum apparentẽ: non diu duraturum affirmãt? An ꝙ nondum exortus adhuc sol, sed sub finitore existens in nubes aliquas densas, & speculi modo, per summa leues sui luminis radios deflectit: solis speciẽ præferentes, qui etiam nũ sub imo demoratur. Hoc autem multam uaporum consistentiã significat: qui uel uentos uel pluuias dabunt. nam si nulla nubes obicem interponeret, non utiq; prius sol uideretur, ꝗ͂ sublimẽ se se super æthera tolleret.

SECTIO SECVNDA DE IIS QVÆ ad sensuum organa attinent. & nonnulla etiam de somno, de insomnijs, de singultu, memoria, & de sudore & alia id genus continet.

Cur geminas



VR geminas pupulas habentes, & ebrij dupla oīa cernunt? An quia omne quod uidetur, ut sub eiusdem triāguli cuspide conoue uideatur, operæprecium est, cuius basis in utroq; oculo insistat: acumen autem in re uisa. Omnem autem triāgulum: ut in eodem sit plano, (ut demonstrāt mathematici) necessum est. Hinc illi quibus alter oculorum uel digito supposito, uel naturæ uitio, uel aliā quācūq; ob causam à situ & positu sibi proprio peruertitur, duplicia sese uidere credūt, quia basis ipsa interpellatur: & aboletur: & uterq; obtutus in eodem epipedo non manet, sed duplex triāgulus redditur. Vnde qui longius q̃ oporteat diaphragma oculorum, uel interstitiū habent, non adeo magnū impedimētum ad uisiones ferunt, quibus uero alter altero sublimior est, omnia agunt & patiuntur, ut eos ad eandem paritatem pertrahāt. In temulentis igitur (uinum nāq; facillime capita replet) oculi multo humore & uini halitu ascendente infarciuntur, & alter sursum trahitur, alter deorsum uergit, tanq; si conuulsione ex plenitudine præmātur: qui uero binas pupulas (ut in Falisco Italiæ agro) obtinēt, minime in eadem positione conseruant.

2 Cur oculū unum sine altero mouere non possumus? An quia nerui optici luciferum spiritum deferētes, qui soli intus sunt pertusi, ab eodem cerebri principio prodeunt, coeuntesque in formam litteræ, x, mox disparantur, & ad propriam quisque pupulam tendit, quo fit ut altero orbe luminis clauso, totus animalis spiritus in alterum cōfluat, ut multo lumine scintillet, haud segni remedio, ijs quibus festuca uel uēto citatus puluis uel aliqua noxia in oculos inciderunt.

3 Cur qui oculos extantes, & prominulos, & emissitios obtinēt, minus acuto sunt uisu, q̃ qui eos intus reconditos habent? An quoniam in illis uisibilis radius exilit dissultās, & spargitur, in ijs uero qui intus ceu in theca positos habent, certior est uidēdi ratio, q simulachra non diffluunt, nec dissipantur, sed coeūt. Quo argumento illi exactiore uisus acie, & acumine pollere traduntur, quibus minimi pupularū orbes: & iris uueaq; quà imaginibus ingressus: angusta est, quale fermè est aquilarum genus: & dorcades hoc est siluestres capræ, & dracones quibus ab acuta uisus subtilitate: nomen inditum est.

4 Cur in speculorum intuitionibus, nunc quidem nos ipsos, nunc quæ sunt supra nos, nunc posita à tergo, interdum quæ à latere sunt, intuemur? An quia uaria efficitur anguli ad oculum redeuntis permutatio. (ut circa hæc peritissimi tradunt.) Cuius quidem si cuspis fuerit acutus, ut cū aduerso nos in speculo intuemur, oppositas ponè ex directo imagines reddit. si uero conus adhuc angustior efficiatur, ut cū paulatim à nobis speculum remouemus, quæ post dorsum sunt uideri facit. sin autem spe-

tem speculum ipsum supino uertice & schæmate reclinemus: ita ut resiliens angulus sit rectus, tecta & domorum fastigia capiti imminentia conspiciuntur. si uero inclinati speculi distantius latus sensim inflectas: ut mucro obtusior euadat: non alta, sed depreßiora, ut latera, & parietes camerarum spectare cõtingit. Alterũ autem à fronte: alterum à tergo speculum si habeas: ita ut alterum alterius desultoriã imaginem accipiat: & reddat: nihil sic quidem obstabit, quin uel occipitium ipsum: Iani bifrontis ritu, & terga inspectare poßis, ut ne quisq; temere tibi mobili manu auriculas mobiles imitetur. Quòd si propter distãtiam, uel proximã ob uiciniã affinitatẽ, angulus uel nimium plusq; deceat, acutus, uel hebes fiat, nihil cernere datur. In speculo autem facto ad modũ dimidiæ sectionis circuli caui, cuius scilicet inferior margo sit in orbem coactus, umbo autem superior in rectum procedat, qualis imago lunæ nascentis esse solet, omnia ampliora uidentur, quoniam radij non ambitu circuli concludantur: sed à lato spatio ad obtutus se referant.

5 Cur in speculis dextra quidem sinistra, læua autem dextra apparent? An quoniam in sinistris dextrisq;: è regione oppositis speculi partibus conspiciuntur. Si uero speculum cauũ intus & oblongum factum respicias: modo imbricis, aut scaphij quadrati, quo bibere consueuerunt, qualis aut tegula est, aut cylinder per longitudinem semisectus, dextra quidem dextrorsum, læua aũt sinistrorsum, fallaces imagines non falso iudicio representant: quoniam etsi dextra simulachra in læuas, & sinistra spectra in dextras speculi partes referãtur, à dextris tamen partibus in læuas: & à læuis in dextras rursus reflectuntur, & mẽdosa apparitio, quo sunt loco: figuras uideri facit. Atq; huius quidem inclinati, si alterum dũ taxat latus obtuearis, imo quidem conspecto, te prono pectore desuper incumbentem ostendet, sublimi uero uiso, te supino habitu referet, propter dolosam idolorum relationem, quibus cathoptricæ facultas, quin paßim utatur, stare non potest.

6 Cur quadratæ magnitudines ex distantia rotundæ esse uidentur? Utrũne quia in longo interstitio atq; interuallo, quando ingẽs intercapedo interhiat: nequit angulos discernere uisus, qui minimo adeo acumine coeunt. sed confusam molem accipiens, rotundã arbitratur. Quo argumẽto fisi nonnulli asserere non dubitarunt, cælum non esse orbicularem, cuius figuræ uidetur, sed trigonæ, aut tetragonæ, aut alterius cuiuspiam figuræ in immensum excurrentis, quæ tamen deficiente & euanescẽte uisu, dum in longinquum porrigitur, in orbẽ formata esse uideatur, & spectetur.

7 Cur exulcerationem oculorum à defluxione tenui & acri patientibus, nec astringentia stiptyca ue medicamina, nec acria quidq; adeo prosunt, quin potius mage nocẽt? An quia astrictiõe prædita, in particula manere & retineri faciũt hũorẽ, qui exube-

qui exuberat & corrodit, quo magis non discutitur. acria uero passionem magis irritant & adaugẽt. Quo circa nihil ijs æquè accõmodũ est, ac pharmaca quæ sine morsu desiccant, ex quorum genere amylum est (sic dictum quia molam non sensit) & quæ defluxionem spissant, nullamq; in calido uel frigido obtinentem ostendunt qualitatem, subinde conueniunt, q̃uis longiori temporis spacio sanitatem procurẽt, ut sunt omnia quæ siccitate medicantur.

8 Cur re odorata præsenti, si non inspiremus, nihil odorem sentiamus? An quoniam odoratus organum ad intra nares habetur, ut Arist. docuit, qui quoniam sensus imbecillimus in nobis est, quo non nisi graueolentias persentimus, inuolucro quodã tegitur, quod ad aeris ingressum aperitur, & reuelatur. An uero potius: carunculæ quædã sunt mãmillis similes, in partibus anticis cerebri, quibus hoc munus delegatum est, (ut Gal. est auctor) nam si in naribus sit, nihil impedimentum ferret, quin uel spiritu uiolenter impulso, uel flabello uehementer mouente aerem, non spirãtes flagrantiam odoris pernotemus, cum illa reserare meatum possint. sed cum odoramenta omnia, & quæ sternutamenta mouent, & pituitam per nares depurgãt, (ptarmica, & errhina, & apophlegmatismos uocant Græci) caput depurgandi uim habeant, ꝙ in cerebro anteriori hic sensus accubet, fidẽ manifestam faciũt. Per spirationes igitur aer odoris defluxu satiatus, ad sensorium defertur. cum uero spiritus cõtinetur, aer qui in osse est, ichmóide à cribri foramine dicto, per quod quippiã percolatur, obuiam positus, quicq; ingredi prohibens, impedimentũ fit, ne perueniat halitus ad sensum.

9 Propter quid quibusdam nares in frigoribus rubescunt? An quia aliquibus calor innatus uiscerum imbecillus est, quem in se totum retinent, nec aliquid extremis particulis impertiunt. his adde: ꝙ narium cartilagines pterygiaue sanguinis inopes atque cassæ sunt, quibus frigidum nocere suapte, spõte ut omnibus neruosis corporibus: est natum. At uero quibus non rubore complentur: ijs uehementior & fortior intestinus calor & narium est, ut audeat obuiam contra frigoris iniurias sese opponere. Inditium autem, quia & canes illi præstantiores generosioresq; censentur: quorum nares per hiemes non molliter ægrèue afficiuntur, sed aeris minas concretionesq;, innoxijs inalteratisq; naribus transmittunt.

10 Cur odoramenta omnia caput dolore infestant? An quia calida sunt, calori autem ad supera est motus.

11 Cur sapores in stypticum, austerũ, acidum, nitrosum, salsum, amarum, acrem, dulcemq;, & pinguem subdiuidunt? An quia succi omnes uel in substantia crassa, & terrea, uel tenui & humecta innituntur. si igitur in crassiori algenteq; mole cõsistat

ſtat ſapor, ſtypticus aſtringens ue dicitur, qui ſi intendatur, in auſterum concedit. atque hi quidem, organum moleſta quadam & inæquabili ſenſatione afficiunt, & exaſperant. ſed auſterus magis ſubit & ingreditur; ita ut etiam in imas partes ſenſum aſtrictionis diffundat. Si uero humidos ſuccos calor imbecillus uel frigidũ ſubegerit, acidus ſapor comparatur, qui mox tranſit in dulcorem, ubi calor humorem perfecte concoxerit. unde non omnes quidem ſucci: ſed qui à principio, aſcititio, & nimio humore ſcatent, anteq̃ dulceſcant, ſunt acidi. cæteri autem fructus ſunt primum ſtyptici: & aſtringentes: ut caſtaneæ, nuces. quod ſi multus calor in materiam craſſitudine prædit.m terreſtrẽq́; ſubtiliãdo laborauerit, nitroſus ſapor perficitur: qui remiſſus: fit ſalſus, intenſius autem eſt amarus. atque hoc adhuc impenſius calet, qui eſt acris. qualis in pyrethro, piperibus, naſturtio, cepis, allijs, multiſque id genus reperitur ſapor. Verũ hi non adeo linguam cogunt, ſed potius id ipſum guſtatus ſenſorium demordent, lancinantque, & uellicant. Quando autẽ mediocre calidũ in humorem egerit, dulcis ſane ſapor pinguiſque producitur, qui ſenſiterium ueluti illinũt, & molli quodam contactu irrigant. uerum ille quidem iocunde, hic autẽ non iocũde. Quãtũ itaq́; ad uoluptatem, & ſenſus titillationem pertinet, amarus dulciſq́; opponuntur. hic quidem uoluptuarius exiſtens, ille propter amarorem edi nõ potens. quo autem ad cauſas ex quibus conſtant: ſtypticus & amaritudine præditus maxime contrarij uidentur.

12 Cur ſucci omnes repoſiti aceſcunt facile, & exacuuntur, & inutiles redduntur? Malorũ cotoneorum uero, & ſtruthiorum præcipue, ſuccus expreſſus bene fert ætatem. nam ſeptem integris annis (ſi fidem ſuam nobis probat Galenus) inuiolatum fuiſſe repertum, qui per incuriam aſſeruatus fuerat perhibetur. An quia propter tenuitatem ſuam, & patiendi promptitudinem, nec hiemis nec æſtatis iniurias, quin mox alterẽtur, tolerare poſſunt. Cotoneorũ uero ſuccus, propter aſtringentem uim (quà adeo pollet, ut ſi per locum quo conſita eſt malus cytonia: qui helleborum ferunt uenatores pertranſeant, quò beſtias ſautias lœtali telo defigant. ueratrum uim omnem & facultatem neruoſq́; amittat, ut inficiendis tingendiſq́; ſagittis ineptum reddatur) tum etiam propter ſubſtantiam compactam quam habet, nihil mirum ſi longiore temporis ſpacio perducare poſſit.

13 Cur dulcia dumtaxat nutrire poſſint? nullus uero alius ſapor, niſi in quãtum plus uel minus admixtum quippiam habeat dulcoris. An quia ſanguis quo geniti ſumus, & ex quo proinde uiuimus (nam ex quibus ſumus orti, ex eiſdem alimur) tali ſapore præditus eſt. An quia oporteat, ut nutrimentum inuiſcetur membro, quod debet alimentnm ſentire, ad quod opus dulcia propter pinguitudinẽ quam habent maxime

habent, maxime sunt apta. acris autem aut amarus, aut austerus, aut acutus sapor expungunt potius & extrudunt, si quid inhæsit. astringens autem & acerbus nutriret quidem, sed penetrare non potest, ut adhærescat. Hinc est q̄ caudam cerui canes non degustent, q̄ ea parte, bilis uesicam id animal habere tradatur. & acrem melancholiam, quæ terram sua acritudine fermētat, ne muscæ quidē attinguant. nam nec in mari quod salsum uocant, quodq́ animal oriri aut ali potest. Et denique hinc prouenit q̄ amygdalæ amaræ, pira maxime acerba, capparis à sale non lota, mala punica, porri, cepæ, & omnia quæ insignē maxime aliquam qualitatem obtinēt, si cruda edantur, nullam alimoniam exhibeant, sed ad educendum liquidum aliquod ex pectore, aut pulmone, quod expurgare conueniat intantum conferant. si uero ignibus domentur, aut elixatione decoquantur, ut aliquid illius qualitatis deponant: aliquod tūc quidem sed exiguum præstant corpori nutrimentum.

14 *Cur uocem alij gracilem, alij magnam obtinent? An quia ingens uox uel propter arteriæ uocalis amplitudinem, uel propter caloris copiam effici solet, ut ex contrarijs causis exilior. quibus igitur alterum horum adest, non obscurum uidere est, cur uocem grandiorem edant. Hinc uiris uox grauior, quia multum calorem habēt, qui dilatat & expandit arteriam, fœminis autem puerisque, & senibus, & ijs qui à morbo restituuntur, imbecillis adest, quia in illis arteria, qua uox conflatur, lata non est. in fœminis scilicet propter frigiditatem sexus: in pueris autem, quia nondū augendi tempus habuerunt, in ultimis, quia debilis mansit uirtus à morbo, ut non possit magnam quantitatem aeris pellere. unde uox efficitur acuta: quia aerem celeriter mouent, propterea q̄ sit paucus, uel quia magis ob uirium defectum connituntur, ut qui statura breues sunt, in digitos sese attollunt, & qui natura surdastri sunt, spiritum magis uocemq́ intendunt, quia ab alijs non exaudiri se putāt. Magna autē uox & grauis, fit tunc, quando multus aer tarde per arteriam cōmeat, quia non ita facile multus sicut paucus impellitur. Ex quibus dubitare nemo potest, q̄ qui aeris arterias latitudine præditas obtinent, quas multus occupet aer, quē ægrius moueant, uoces grauiores emittant. Non semper autē magnitudo uocis caloris multitudinē testatur, cum possit & calor esse exiguus, & arteriæ latitudo adesse. Naturalia uero, uel frigoris, uel caloris temperamenta à primis natalibus cōtracta, uox abūde redarguit. cū si calor à principio ortus, multus sit materiam paratam habēs: nō dilatare non possit. si uero sit modicus, canalis angustias cōmittat. ut si superet siccitas, uocis aspritudo causatur, si humor arteriam non æquis partibus illinat, & conspergat, uox inæqualis perficitur. Porro uitulus & uacca iuuenca ue, grauiorem mugitum reboant, q̄ taurus iam ætate maturus. quia cum frigidum & siccum suapte*

pte

pte sponte sit animal bos, quo magis ad tempus sui ortus accedit, impensius calet: & humescit, quo autem plus incremento proficit, siccitas magis adaugetur, cuius ratione arteriæ intus indies meatus angustior breuiorq; euadit, ob quam causam excisi boues grauius clamant, quia sunt humentiores, ut omnia execta non exectis. Quo fit ut bobus cornua si abscindantur, magnitudine proficiant, quia humor non deficit, tauris iterum non crescant, eo q̀ desit materia.

15 Cur si quis pulsantem nolam circũ undique pallio obducto cõplectatur, nullus percipitur sonus? An quia aeris unda, quæ intus in meatibus cietur, & agitatur, ferri foras prohibetur, ut ne pertingere ad aures, nec diffundere speciẽ suam usque ad auriculam possit, uelamine imposto, sed potius immotus, & immobilis, & inagitabilis perstet.

16 Cur si quis dum pulsant cymbala, uehemẽter clauum imprimat, cõtingit: ut frãgantur? An quia qua parte figitur malleolo clauus, aer qui illac meabat, intro uiolẽter protruditur, quod cũ non patiatur, ut qui se aeri cognato, & externo connectere appetat, confringi illam potius præoptat. Vtrum quia aeris fluctus, qui ueluti uallo facto circum undiq; congirabat, libere circũquaq; uagari cum non possit, offendens impedimentum, nec prorsum tendere, propter obicem qui interclusus est, nec citro retrorsumue gradum flectere liceat, eo q̀ alter ex aduerso fluctus in orbẽ rediens, magno impete obuiat, illius fractionis est in causa. cum uis ingens motus, qua impulsus ferebatur, subito nesciat deperdi.

17 Propter quid balbutiũt nonnulli litteráq;. l. pro. r. pronũciant? ueluti Alcibiades qui celnis, procernis, & coluum, procoruo efferebat. An quia ut hæc littera. r. & præcipue si. t. ut in hoc uerbo tremo, trochos, trano, præcedat, pronuncietur: opus est: ut lingua refirmetur, atq; feriat supra dentes anteriores. Blæsi igitur euadunt uel propter tenorem, linguam mouentium musculorum, exolutũ, ut non possint uehementer percutere: q̀ littera. r. potiusq̀;. l. exoptat. uel propter imbecillitatem musculorum, sicuti accidit ijs qui loquendo defatigati, alterũ pro altero balbutiendo pronũciant. deniq; uel propter linguæ siccitatem, ut in febrientibus, uel propter breuitatem, non potentis se porrigere ad litteræ figurationem balbi efficiuntur. In sanis autem ut plurimum id oris uitium euenire consueuit, propter nimiam humiditatem à cerebro destillantem, qua linguæ musculi immersi atq; dilaxati, minus uocem conformare possunt. unde & tales alui profluuio tentantur: descendente pituita ad uentriculum: & leuifaciente.

18 Cur auriũ excremẽta: dulcia quidem lœtum, secũdũ Hippo. amara autẽ nihil mali portendunt? An quia illis naturale est, ut amarore quodam sint prædita, q̀ si dulcorem

si dulcorẽ acquisierint, magnũ à naturali habitu excessũ, & proinde malũ significãt.

19 Propter quid qui singultu laborant, sternutatione superueniente liberantur? An quia singultus nihil aliud est: quàm contractio quędam & compressio uentriculi, ad pellendum quod in eius tunicis, & præcipue quod in ore eius (quod stomachum proprie dicunt) acre atq; mordicans inhæsit. In sternutatione autẽ fortiter thorax comprimitur, & calor colligitur, & fortius expellitur, quicquid pellendum est. Nam & nos si quid tussi expuere, aut aliud quid protrudere molimur, naturam in hoc emulantes, ualide pectus comprimimus, ut uiolenter expulsus spiritus, impetu secum trahat quod nocuit.

20 Propter quid in hieme magis singultum patimur? An quia rigor difflari à neruis excrementa prohibens, plenitudinem in eis operatur: quã à se remouere expulsione nituntur. Nã tale quid accidit neruis: quale chordis: quæ ob nimiam humiditatem conuelluntur, repleti siquidem, cum minime difflentur, distenduntur, ac si spasmum patiantur. singultus autem quidam uentriculi spasmus est.

21 Propter quid pueri frequentius quàm uiri singultire consueuerunt? An quia gulones, & satiem nesciẽtes, & inexpleti sunt, crapulæq; & uentri indulgent, propter quod semper in eorum uentriculis est quod irritet, & ad excretionem stomachum urgeat & impellat.

22 Cur si quis uinum bibat aqua calida temperatum, piperisque puluisculum scobẽue inijciat, mox ad singultus prouocatur? An quia potus calidus deducit ad tunicas oris stomachi, piper uero sua acredine pungit: & erodit, unde singultus: qui nil aliud est quàm motus quidam ipsius uentriculi ad repellendum quod infestat, uehementior tamen uomitu, nam is fit, ut extrudantur: quæ in lata ipsius spatiositate continentur, at singultus: ut quod in tunicas oris stomachi (quod acutissimo sensu præditum est) penetrauit: foras mittatur.

23 Cur cytharas & lyras artifices cum reponunt: remittunt chordas? An ut ne nerui disrumpantur, nã in Austrino & humecto aeris statu, madido quodam humore consperguntur & replentur, in Aquilonijs autẽ cõstitutionibus immodice desiccantur, atque ad eum modum: tum conuulsiones, tum singultus, cum à plenitudine, tum à siccitate prouenire Hippocrates obseruauit.

24 Cur quartanus rigor uehementissimus censetur? An quoniam ab humore committitur, qui & algidus supra modum, & craßiusculus magis est, quàm ut facile discuti possit. quam ob rẽ qui id mali patiuntur: ossa confracta se habere dictitant: humoris nimirũ crassitudie pergrauãte. Qui autẽ tertiano rigore afficiũtur, tũ caliditatẽ quãdã in alto sentiũt, tũ uero in medijs rigoribus siti ĩterdũ ingẽti premũtur.

25 Cur sub finem somnij magis quam à principio sudores magis contingunt? An quia epulas à nocte ingestas primum quidem calor intus copiosus receptus concoquit, ut alimoniam membris tribuant, deinde uero humores postremo digerit per sudorem, quicunque in halitus & uapores tenues subtiliari possunt.

26 Cur solam sudoris excretionem: somnus omnium domitor non compescit? An quia mere naturalis est, quæ omnia, in nobis uel tollere, uel ponere situm non est. Aliæ uero excretiones, & alui excrementa, nisi musculi qui in fine sedis sunt, recludantur, non prodeunt, quibus cum imperet animalis uirtus, quæ in somnis sopita est, & feriatur, & meatus omnes propter uapores ab alimento eleuatos obstruantur, per quos spiritus radius illucescere atque transmitti poßet, ut musculis uim atque facultatem qua ora recluderentur, præstaret, nihil mirum est, si excretiones in somnis cohercentur. Qui uero dum dormiunt uel semen, uel lotium, profundunt, ij musculos qui exitum inuoluntarium excrementorum, ceu quidam ianitores ante fores positi prohibent: resolutos (paralyticos Græci uocant) habent, ut uelint, nolint, diarrhiam in matellam, & gonorrheam, defluxionemue seminis patiantur, & uel inuitis alui excrementa tanquam ex dolio pertrito profluant. Pari ratione nec sanguinis à naribus fluores, nec sordium detrimenta quæ à coctionibus superant, somni prohibere ualent, quin ad cutem ferantur.

27 Cur corpus aliquod graue aut leue nuncupatur? An graue quidem id est quod deorsum naturali pondere fertur: leue autem quod scandit in altum. An uero nihil uere imum aut sursum est, toto sphærico existente: & semper terris incumbẽte cælo, sed (ut Plato sentit) ponderosum id est quod difficile à suo naturali loco dimouetur: leue autem quod in sedem præter naturam facile pertrahi potest.

28 Cur sõnia autũnalia magna ex parte temeraria & uana, & ĩcerta eße cõsueuerũt? An quoniã secũdũ Democritũ plura simulachra rerũ hisce mẽsibus cũ folia ab arboribus cadũt, mẽtẽ subeãt & peruertãt, tabescũt enim tũc oĩa & mũdus ipse ad senectutẽ uergere & declinare uidetur. An uero quoniã per id tẽpus hoĩes plures fructus recẽtes ingerũt, quorũ ea hora feracior est, qui oẽs succo plurimo incocto, & excremẽtitio scatẽt, ab his cũ in uentriculo ebulliãt, & putrescãt, quãplurimi halitus ad superna feruntur & caput petunt, à quibus mens perturbatur. Quocirca super fructus bibendum omnino Aristoteles tradidit, ut potus putrorem & feruorem, ebullitionemque cessare faciat.

26 Propter quid à longis ægritudinibus somnia ut plurimum futilima uidere solent? An quoniam cerebrum siccius est & aridius effectum, & multum à naturali temperie mutatum.

Cur

30 Cur eos qui dormiunt uisa uidere & somnia omni modo necessum est, nec dormire sine insomnijs possumus? An quoniã tandiu animal somno grauetur, quãdiu somniorum uisis deluditur, quando autem uisa quieuerint expergiscitur, & à somno leuatur. Vigilamus enim quoniam ab obiectis exteriorũ sensuum auocamur, somno autem operã damus, quia mens & phãtasia somniorũ cogitationibus distinetur & occupatur, atq; ut nos interdum lectioni incumbimus, uel alia cogitamus, ut somnus nõ adeo obrepat: ita mẽs uisa q̃dã intueri sibi fingit ne animãs à somno excitetur.

31 Cur cũ lecto nos tradidimus, placidãq; trahimus per mẽbra quietẽ frequentius de obiectis uisus sensorij somniamus, ut de colore, figura, magnitudine, aut de obiectis auditus, cum noctu ueras audire & reddere uoces: strepitusq; opinamur, raro autem de obiectis aliorum sensuum per tranquillã noctẽ existimamus, raro enim aut gustare ore auido sapores, aut tãgere, aut odores naso attrahere nos credimus? An quia somnia fiũt impressa imagine rerũ exteriorũ à simulachris in memoria reconditis: porro spectra sensuum magis spiritualium, ut uisus & auditus, mobiliora (ut ita dixerim) sunt & magis tenuia, quare magis conformant: & excudunt phãtasiam. At uisa idola ue aliorum sensuum crassiora sunt, & magis corporea, unde minus imprimere & afficere existimationem possunt, incorporeum enim à corporeo pati, est nephas, si Plato uera effatus est.

32 Cur somnia ut plurimũ falsa & mẽdacia experimur? An quoniam in nobis & pars ea est, quæ format, & effingit, & ea quæ ueluti cera impreßionẽ recipit, & rerum uarias imagines persentit, & phantasiatur. Sicut igitur ubi cythara & musica est, non deest modulatio, & si faber sit, nec careat materia, protinus ibi opus artis eße necesse est, & si pictor adsit, multosq; ad manum colores, & optimũ atramentũ pictoriũ habeat, nequit nõ uel tabulã oblinere, uel parieti tectorium inducere, uel non picturas deorũ cõformare, sic cũ apta pati & suscipere organa habeamus, & facile prõpta immutari, & acutißimã imaginationẽ, repẽte sese transformantẽ in quos uoluerit cogitatus, & trãsmutãtẽ ipsos sensus, in quos uoluerit habitus, nihil mirum sit: si per somniũ: ubi magna sensuũ feriatio, & locus uacuo animo cõmentãdi, mille species absurdas & graues concipiamus. & ea cõponamus, quæ nec fuerunt unquam, nec sunt possibilia factu. Cũ itaque hominum anima in se habeat: & quod confingi, & quod confingere poßit, facile hoc illi à se inest, quòd uarijs seipsam afficiat spectris, & quòd diuersas & monstro similes figuras admittat. Sensus tam intrinsici quam externi semper sunt apti moueri (nam sentire in affectione quadam & paßione est, si Aristoteli credimus) hos phantasia & imaginatio atque intellectio agitata ab idolis in penu reseruatis, & temere dimotis,

e ij cient,

cient, atque motitant, ut nulla sit quæstio reliqui facta, si cum sint semper mobiles, & liquidi, lubriciq́; & leuiter deceptibiles sensus, ipsosq́; perpetuo cogitatio mentis iugis perēnisque agat, & alteret, horrendis uisis deformibusque deludamur. Patiuntur uero hoc magis, quibus corpus uel multo præssum fatigatumque labore est, uel qui post longas egritudines tandem incolumes, sed corpusculo adhuc inualido atque imbecillo restituuntur. namque hosce quicquid modo rapere, & peruertere, & eleuare mentem potest, facile distrahit, & ea imaginari cogit, quibus cum: qui humor in corpore præest: cognationem obtinet. An uero ideo somnijs frustramur, quia rerum simulachra in aere impræssa, nacta per noctem summam profundamque quietem, quod in nobis est perceptiuum, afficiunt: perque uacuos corporis sensuumque meatus penetrantia, eorum imaginationem inducunt, quorū sunt defluxiones. Vnde Democritus (ut auctor est Plutarchus) diuos præcari, oportere censebat, quo optimis & bene compositis idolis obuiemus, atque quæ optima sunt, & nobis cognata, ex ambiente potius: q̄ quæ peruersa & sinistra: in nos impingerēt atque conferrentur. superstitiosa profecto opinio, sed quam tantū non piguit philosophum sequi. Quemadmodum uero in iactu talorum, si multa iacias: unum aliquando recte iacias, ita contingit nonnunquam, ut uisa quæ reposita habemus, ita certa lege & conuenienti fœlicique serie componantur, ut ueri præse ferant imaginem: speciemq́;, nec falsa mentitaue deprehendantur.

33 Cur firmius meminimus, eorum quæ pueri, aut uidimus aut audiuimus (ut etiā est apud Thimeum) q̄ quæ nuper, aut hesterna die gessimus? An quoniā infantibus cognoscendi cupidis, tenacius & promptius quæcunq́; discunt imprimuntur. Vt enim dulce bellum est inexpertis, sic rudibus & imperitis rerum: quā primū intelligere cœperunt, dulcissimus primus ille est gustatus. & ut inquit Aristo. geometricis speculaminibus gaudētes, geometrici euadunt, & noua puerorum ætas scientiæ inscia, quicquid primo docetur, auidissime cognoscit, & ad primo docentis similitudinē, ut mollis cera conformatur, ut primos imbibit lana colores, & testa saporē, quo primū imbuta est, diutissime retinet. An quoniā magis admirātur, ideoq́; magis memoriæ comēdant. Admiratio enim artes fecit, primoq́; rerum euētus admirati philosophi, deinde earū rationes inuenerūt. unde ad fabulas & commentationes pueri sunt naturali quadā mētis inclinatione propensi: quia admirationē quādā secum afferunt, quæ mētes percellit. An quoniam paucas adhuc pueri intentiones perceperunt, ut nihil superuenientes notiones à præcedentibus impediantur. An quoniam uiri dum audiunt circa negocia uitæ sunt intenti: pueri autem nulli alteri rei adhærentes: toti discendæ rei uacare possunt. An quoniam durati & pertinaces

naces sunt uirorum sensus, ut nõ probe informari poßint, puerorũ autẽ & humidi, & molles, & sequaces, & ad quiduis suscipiendum accommodati.

34 Cur postea ꝙ res geßimus: nõ mox de illis somniamus: sed interdum post multa tempora? An quia rerum simulachra interim temporis memoriæ figuntur, & imprimuntur, ut firmius afficere phantasiam & imaginationẽ poßint. Sępicule autem nobis nihil tale cogitantibus, alicuius rei imago aut carmen aliquod in mentem uenit, quia spectra sensilium in penu & cella memoriæ recondita, & assidua agitatione delata, interdum coram imaginatiõe & sensu interiori, qui sciscit iudiciũ de rebus, nihil alijs idolis exteriorũ obturbantibus, se sistunt & præsentant.

LIBRI SECVNDI PROBLEMATVM

Sectio tertia continet nonnulla quę ad mores attinent.



Ropter quid homines studiosi, & sapientię dediti ut plurimũ paupertate laborare solent? An quoniam fortuna (ut ferunt) cęca est, & inmerentibus omnia præstat, bonis autem etiam uictui necessaria denegat. An quoniam uirtuti cætera cuncta posthabentes, opes & honores contẽnunt, & cætera quæ uulgus admiratur. Itaque diuitias non consequuntur, quia habere non curant. Facile est sapienti ditari, si uelit, ut Thales dixisse fertur. An potius quia si uirtus & diuitiæ comites essẽt, & qui uirtutem colerent, semper opibus abundarent, plærique propter diuitias, non propter seipsam: uirtutem sequerentur. Vt igitur ipsam propter se ipsam uirtutem homines amplectantur, alterum ab altero disiunctum deus uoluit, ut qui uirtuti studet, minime auaritiæ inseruire uideatur.

2 Cur matres primos natos ardẽtius & impatientius amãt? An quoniã ea longius amore prosequimur, quæ pluris constiterũt, primi autẽ liberi primũ genitalia uincula claustraꝗ; ruperũt, & Lucinã doloribus ĩuocari fecerũt. An quia matres tũ primũ dici & uocari ĩcipiũt, quod magnæ cuiusdã reuerẽtiæ reputatur. An quia pignus quoddã & uelut arrabonẽ accipiũt, quo uiri cõiugibus firmiori copula adhęreant. Hinc igitur à matribus pueri impẽsius diligũtur, quia lõgiori tẽpore labores: & enitẽdi partusꝗ; difficultates pertulerũt. Quos uero in senectute pepererũt, ideo etiã amare ægrius & affectuosius solent, uel quia cæteris grandioribus iã factis, adhuc sunt paruuli, uel ut fructũ Veneris postremũ, quẽ ultra fœcũdari desierunt. uel quia parẽtibus imbecillis præ senio iã redditis: scipionẽ quẽdã, & baculũ, quo imbellis & inualida eorũ senectus fulciatur, sustulisse uidentur.

3 Cur senes ferme impudentiores esse solent? An quia ijdẽ propterea ꝙ in uita multa & uaria sunt experti, sunt auari: metu ne subeant pauperiem, quorum mos

 est:

est:ut undecunque:dum sibi congerant aceruum, iuste uel iniuste rapiāt. An quia modicum de sanguine habent, qui tectorij uice ceu quoddam uelamentum in pudore protendi solet. An quia ad iracundiam sunt procliues, propter atrā bilē quæ in senescentibus dominatur, cuius ratione permanentiores iras retinent, qui senectute confecti, ætatis autūnum peragunt. An quia imbecilles facti in uitia facile dilabantur, cum nullus sit intus rector, qui prudenter clauum gerat. An quia pueri parum sūt pudibundi: senes autem secundo repuerascunt, illique paremiæ obnoxij tenentur: quæ bis pueros senes esse narrat. An quia ad ingurgitatiões & potus sunt propēsiores: (quos acolastus & acolastænontas græci appellāt) ingluuies autē iudiciū desine corrūpit, ut discernere nō possint, quid factu haud sit turpe, quid agere nō conueniat.

4 Cur pueri mathematum euadere periti possunt: sapientes autem & morales philosophi non possunt? An quia illorum finitiones, & postulata, & dignitates quid significent & præ se ferant, haud obscurum est. At uero moralis disciplinæ principia: ut illis pueri assentiantur, longo tempore & exercitatione opus habent, unde si quando de hijs rebus interim iuniores loquantur, non scientes: aut fidem habentes, sed ut libris & præceptoribus credentes, talia pronuntiant.

5 Propter quid patri filium abdicare licet, filio autem patrem non decet? An quia hoc quicquid est id quod habet gnatus, id totum acceptum refferre debet parēti, qui uiuendi munus cōcessit. An quia pater præ filio quidam dominus reputatur: qui si seruorum suorum curam non agat, pœnæ obnoxius non est, quia precium dedit. Si uero famuli mandata dominorum præsto prima syllaba audita nō fuerint executi, multas plagas accipient. An uero quia parentibus ut & magistris, æquus cū dijs honor cōceditur, qui si prouidētiā inferiorū nō gerant, ipsi culpæ sunt immunes: quia nihil debēt, qui oīa dederūt. si uero nos beneficiorū nō meminimus: ingratitudinis uitio accusari possumus: qui bene de nobis promerentibus nō retulimus gratiā.

6 Cur in urbibus occidūt malos: & ex medio tollūt? An ne nobis sua uitæ cōmuniōe noceāt, & ut uiuētibus tāq̃ similia passuris sint exēplo, ne talia cōmittere audeāt. An quoniā in quibusdā uitiū uirtute, & ratione, adeo melius est factū, & id quod deterius: tyrānidē in præstātius exercet, & ueluti olimpia uicit, nōnullique supini in uitia (ita ut Plato ait) defferuntur, ut mori multo illis sit potius, qui tanta mētis deprauatione perditi sunt facti: ut ne ab ipsis quidem musis, ne dum à Socrate: aut Pythagora in sospitatem animæ restitui possint.

7 Cur alibi alijs & nunquam eisdem uoluptatibus delectamur? An quia non una semper dispositio nobis est, nec corporis nec animæ, & alia quidem hieme, æstate uero diuersa, & alius nobis habitus est ægris, cū sanamur autē contrarius. Vnde

&

& deum & simplicißimas illas mentes unica gaudere & affici uoluptate consentaneum est, quæ unicus & indiuiduus sunt actus, qui nullis temporum uicissitudinibus aut mutationibus alterari possit.

8 Cur ueritas à græcis alethia nuncupata est? An quoniam ueritatis amator philalethèsue, non obliuiosus est, id namq; nomen sonat, fit nāque ut & mendaces memoriolæ uitio laborent, & qui sint immemores, mendaſe dicere non sentiant, ut qui propterea quòd probe dictorum non meminerint, parum cōsentanea sibi ipsis loquantur: & proferant. Verax autem semper sibi ipsi constat: & omnia quæ uere de re aliqua dicuntur, sibi mutuo astipulantur, & consonant, ut tralatitio iam & uulgi ore iactato prouerbio est celebratum.

9 Cur multi mendatia & nulla ratione fulta astruentes, tum seipsos, tum alios latent? An quoniam falsa quædam supponentes, facilius mentiri & fallere possunt animos preuentos: & prauis alienisque opinionibus occupatos. An quia populare hominum uulgus, non adeo an rite quid inferatur, & ex ueris, quantū id ipsum quod infertur, attendit: quod ex falsis astrui, quæ interim æquam quibusdam ueris probabilitatem obtinent, nihil prohibet. An uero ideo opinionum uitium errorque non detegitur, eo quòd qui talia dicunt, consentanea sibi ipsis, & ijs quæ à principio posuerunt, loquuntur, quod mendacibus minime accidere consueuit: quos inconstātes, & suo se dicto iugulantes cernunt. Vt geometræ puncta quædam impartilia, & illatabiles longitudines, & apparentias altitudine uacantes: sibi postulantes concedi, innumera theoremata & propositiones colligunt, & ambigua problemata proponunt, quorum si quis principia tolleret, artem funditus euerteret. Ad eum modum si quis admiserit bis duo efficere decem: idem omnino quater duo uigeßimum numerum conflare, uel inuitus, uel uolēs omnino fateatur: oportet. Parique pacto si aliquis à quopiam uel ui extorserit, uel astu persuaserit, uel inscitia credentium compulerit, eße homines qui binis capitibus agant: eosdem & uiginti in manibus habere digitos, & quaternas plantas, quaternaque brachia, & cætera membra duplicia obtinere, haud difficili argumentatione consequetur, & uera probabiliaque satis refferre putabitur, quia consequentia, & haud quaquam dictis pugnantia loquetur.

10 Cur cum boni uiri (ut uetus quidam fert sermo) deorum sint amici, mali uero inimici, & diuitias amicis potius à dijs præstari consentaneum sit, improbi tamen, & impij homines ditescunt, ut tantum non montes & cumulos auri poßideant, & uel lac gallinaceum habere poßint. Qui uero uirtutem excolunt, & amplectuntur, diuosque reuerentur, ij maximè esuriunt, & inedia laborant?

 borant?

borant? An quia deum id familiaribus suis, quales philosophi sunt uere dei sacerdotes, qui animam à corporis contagio expiant, & ipsam secundum se ipsam (ut Socrates dicebat) constituunt: id dare par est: quod sit in rebus humanis optimum. malos igitur ditescere sinit, edituis uero suis animi cultum & ornatum (quę omni auro pręstantiora sunt) suggerit. An uero quia omnem mundi gazam non tanti esse dij credunt, ut multi sit à uiris philosophis facienda, qui uel totam tellurem punctum & minimam notam esse non ignorent, & totum cæli ambitum mente concludant. Mystis igitur suis atque cultoribus facultates, & opes tanquam ingenij labem, & morum corruptelam, diuorum prouidentia non impartitur, ne à ueritatis indagine quam ambiunt, uel latum unguem discedant, cum nullus qui auro inhiat, abstrusam ueritatem cōsequi possit. pessimis autē diuitias, uel quas Crœsus Lydorum rex, aut Midas congesserunt, & tandem fortunę omnia blandimenta cōcedunt, que eos in debita supplicia & momentaneum exitium persepe deducāt. An potius non à superis sed ab inferis dari opes credere conuenit, quod inde constare potest, quia è terræ uisceribus, & intimis medullis, & ima sede effodiantur, ubi manes detineri uetustas credidit, quin & à gręcis atque latinis indita nomina id satis ostendunt, quorum alteri, à dite umbrarum tyrāno diuitias, alteri à plutone furuo Persęphones marito: opes pluton appellarunt.

11 Cur serui cooperantibus dominis minus laborem sentiunt, & milites meliorem operam nauent, si imperatores opus simul aggrediantur, aut in uallo circundando, aut aggere ducendo, aut etiam si cōmunem & cibarium panē esitent, aut super sarmentorum congeriem, somnum accipere non grauentur? An quia ademptam sibi necessitatem arbitrantur, si ij quibus parere tenentur: & dignitate antecellunt, subire labores & difficultates non dedignentur.

12 Cur collybistarum & argentariorum qui uersuram faciunt, & ad usuram tradunt, digiti plurimum exiles sunt, & graciles? An quoniam ijs laborant, summas & fęnora numerantes. An uero quia toto etiam corpore tabefacto sunt & arido, metu ne qui accepit argentum, decoquat. Vnde & abeunt somni, & uigilāt noctes, & subeunt curę, & uicinos suspectos habent, & subinde nunquam non reputant, ubi aurum deffodiāt ritu formicarū indicarum, quo nullus eruere possit.

13 Cur Homerus Iouem dixit non decipere: aut sententiam reuocare, nec prohiberi à quopiam posse, quin cepta perficiat? An quia cum tria sint, propter quæ homines minus opere complent, quod dictis promiserunt. Nam aut fallentes dixerunt, aut quamuis ab initio perficiendi spem habuissent, postea penituit eos, aut cum maxime uellent, aliquod obiectum illis impedimentum est, quominus quæ alioquin cupiunt, &

unt & gestiunt, exhibere liceat. Omnia autē hæc à deo sapientissime abstulit poeta, nè quid esset, quod deum morari crederemus, nè quod nobis se daturum pollicitus est, minus re ipsa præstaret.

14 Cur Periclis caput casside galeaq; artifices depingebant? An ut capitis arcem ubi residet ratio: qua plurimum ille præstitisse creditur honorarent. An uero ne caput gracile & oblongum scilleq; assimile, dehonestamento, dedecoriue reliquo corpori esset, cuius partes modice compactas, & egregia proportione elegantes habebat, ideo illi faciem obuelabāt. Hippocratis autem eius qui medicinam restituit, pileo uultum decorabant. Vel quia pileatus incedere solitus esset, ut qui assiduas peregrinationes rei medicę noscendæ gratia subiret. Vel ut capitis uitium obtegerent, quia recaluaster esset. An etiam, quia cerebro egrę affecto (quòd ut ab ambientis qualitate deffenderet) uestis lacinias, fimbriasque propendentes, ad caput deducere, ut supra manus reponeret, consueuerat. Vel ut obscuritatem quā in scribendo seruauit, denotarēt. Vel denique quia oēs uiros egregie meritos, ut Heroas pileo insignire uetustas de more habebat. qualís aut Vlysses, uel Agamennon. Bruti uero imagines alia ratione pileum gestabant, quia Cæsarem de medio sustulit, ademptaq; tyrānide, patriam in libertatem asseruit, cuius adeptæ insigne pileus fuit: quod serui declarant, qui ubi manumittebantur, circumacti uindictaq; percussi, pileum insignū recuperatę libertatis accipiebāt, atq; deinde liberi quo uellēt uersus procedebant.

15 PROBLEMATA AMATORIA.



CVr amantes eorum quos amant postes sertis è floribus contextis coronant? An quia amatos & delitias suas tanquam deos colunt, quibus hunc honorem defferre consueuerunt. An non amato: sed amori hoc tribuunt, cuius ipse qui amatur, imago & exemplar est, domus uero in qua habitat: tēplū. An uero ideo corollas sibi detrahunt, & amatis offerunt, quia ijs qui animi ornamentum auferunt, corporum quoque exuuias (quæ illi decorem uel pulchritudinem adijciunt) dedicare uolunt.

16 Cur ad conuiuia discumbentibus, si alicuius sertum à capite dissolueretur, hūc amare prædicabant? An quia amor detrahere soleat amatoribus ornamenta, qui suis cupidinibus studentes, neglectius proprij ornatus curam agunt. An quia facile amor deijci corollam patiatur. Quia tanquā egregius rei bene gestæ remunerator, nullum coronandum fore censeat, donec certamen exegerit, & fuerit uoto potitus. signum igitur faciunt, huic tanq; indigno delapsam coronam, quia non adhuc promeruerit brauiū, donec ueneris fructus decerpserit, & amatū expugnarit. An quia non dissoluitur, nisi id quod connexum erat. reciproco itaque, cōuersimq; arguunt,

guunt, hunc uinculo amoris esse colligatum, cuius sertum fuerit dissolutum.

17 Cur amantes poma uiridantesq; herbas, & odoros ramusculos, floresq; inter manus gestare cõsueuerũt? An ut si hæc amatis donauerint, illis uicissim tacita admonitiõe insinuẽt, ut ætatis uer & corporis pulchritudinẽ impẽdãt, antequã ritu stipulæ abeat & emarcescat? An ut florũ uenustate, carẽtiã pulchritudinis eorũ quos amãt, facilius ferãt, & animi affectũ simili pulchritudine cõsolentur. An uero floribus, ut pulchris uestibus & equis etiam num utũtur, tãquã quodã ornatu quo addere ad elegantiam corporis uideantur. An quoniam pulchritudinis cuiusque ubicũque sit, suapte sponte qui amant, sunt amatores, quæ non sane inelegans minus in uernantibus floribus, q̃ in formis apparet, cum primum è telluris gremio erumpentes: naturæ fœcunda ubertate ferente, campos uarijs imaginibus & coloribus uestiunt. An quia nimium arrogantes sunt, & superbiunt, qui omnes flores colligere, & floccos à ueste radere dicuntur.

18 Cur amantes ex interuallis gemunt, & longa ex egro pulmone suspiria ducũt? An quia amori improbo dantes operam, & mille curis quas habere solent, occupati: minus de aere singulis uicibus conuellant, q̃ cordis feruori extinguendo sufficiat. Sed cum usus spirationis probe non expleatur: natura magnam unam respirationẽ facit, ut affatim rependat, quod clanculũ & sensim decessit. Ob eã rationẽ & pueri dũ ploratu rigãt genas, & mẽtis alienatiõe capti, quia eorũ mens imaginationibus intenta, minus de spiritu trahit, q̃ cordis refrigerium exposcat, per paucas inspirationes magnas interpostas, resartiunt quod perierat per multas paruas.

19 Cur Persarum more pincernæ regibus cum uina infundũt: in sinistrã uini modicum mittunt, & absorbent? An ut si uenena aliqua miscuissent: ipsi prius lædantur, q̃ reges quibus propinant. An quia apud Persas reges adorare mos est: itaq; & pileos & alia: cum illis exhibent, osculantur. quia osculum est quoddam uenerationis signum. Igitur & uini illa delibatiuncula osculi cuiusdã uicẽ obtinere potest.

20 Cur osculum amanti datum ab amato tantam uim habeat: ut corpus & animam amantis permutet, & afficiat, adeo ut & palleant, & lachrymas fundant, & oculorum orbes cauos habeant, & uigilent. An quia anima in occursum amoris exiens: à corpore prope exilire uidetur: & transire in amatum, & partes relinquit internas. adeo ut periculum sit, nè foras egressa corpus destituat, & conuolet extra. Nam & amãtium unicam animam in duobus corporibus esse diffiniũt. Unde & Plato cum Agathonem oscularetur scripsit.

Basia dans Agathoni, animam ipsa in labra tenebam:
Ægra etenim properans, tanquam abitura fuit.

An

An uero quia in quibusdam etsi minima sint: maxima uis est. Virus genitale in hominibus & fœminis qui uenere abstinere ceperunt: retentum, cum exiguum quid sit: fastidia & grauissimos capitis dolores, & decolorationes, & priuationem sensus & motus operatur. Aspidis morsus nulla uestigia aut notas aliquas: sed punctula quædam minima dũtaxat reperiri scribunt, quia uis ueneni subtilissima sit, & ocyssime ad uitalia proserpat. Phalangia & scorpiones aculeũ quo pũgunt, minimum & haud quaq̃ pertritum obtinere uisuntur, eum tamen pertusum esse aliquo subtili foramine oportet: ex quo ubi momorderint, puris aliquid mole paruum: uiribus amplum diffluat: quod celeriter per corpus digestum: maximos dolores efficit. Ita ab amati ore cum amantem exosculatur, & labra labellis, & morsiunculis blãdis imprimit: exire humorem quempiam & uirus quoddam tametsi imperceptile sensu id sit: quod amatoris corpus momento per uenas artusque omnes diffusum, alterandi uim habeat, forsitã opinari consentaneum est.

21 Cur amantes eos quos amant frequẽter & sepius inuisunt? An quoniã amici ex lõgis tẽporũ interuallis se uicissim reuisere & uisitare soleãt. Amãtibus autẽ quæuis mora lõga est, & omne tẽpus quo amatos nõ uidẽt: multũ subinde apparet.

22 Cur homines tametsi boni & literati loquatiores debito interdum esse consueuerunt? An quoniam dum in scholis discerent & magistris operam darent, multorum reddere rationem & appetere etiam ab alijs cogebãtur. Qui autem hoc faciũt, uerbis abundare student, qui id melius faciant. An uero quia ob discendi studium tum plurima ipsi ab alijs quærere: tum & alijs proponere solent, & ex datis rursus uerborum innouationes oriuntur, & sermonum cumulus nascitur. An ut sapientes existimentur: cum sapiẽtis sit docere, ad omnia subinde respondere uolũt. Ad hæc cum suauissimum sit docendi munus: docendo summopere gaudent. Sed quemadmodum pueri nonnulli qui corpore multum adeo adoleuerunt: iuuenile quid interim sapiunt, ex quibus annorum paucitas arguitur. Ita & uirorum doctorum sermo est sale cõditus, & simplex, & comis, & qui nihil astus admixtum habeat, & quem nũquam audiendo graueris.

23 Cur litterarum studijs dediti gracili ferme corpore & imbecillo esse consueuerunt? At qui crassiori sunt retusoque ingenio: bene curati, & corporibus pulchre habiti incedunt. An quia hij quidem genialem ubique uitam agunt, nec alicui rei alteri, q̃ corpori curando student, illi uero membrorum uires longis uigilijs, & frequentibus, consuetisque insomnijs, & inedijs contriuerunt, ut animo essent robustiores. Ita autem frequenter contingit, ut qui exiguam staturam sortiti sunt, ingenio magis, & eruditiõe quadã rara polleãt, quia ingenij facultas & uis natiua plus præ-

stare

stare potest, in unum uelut cumulum collecta, quam si per uastam molem dispergatur.

24 Cur sapientes reliquos præ se mortales contemnunt, & non secus quam pygmeos quosdam, aut formicas humi uolitantes, aut etiam pueros (qui quod sequi conueniat, ignorent) sibi persuadeant? An quod sapientia (ut inquit Heraclitus) mentem non producit, nec generat, sed tumidos superciliososque reddat. An quia re uera ita res se habet. Nam cum homo (secundum Platonem) dei lusus & iocus quidã sit, multo magis sapiens mortale quoddam numen censeri debet: qui uero litteris otia non contriuerunt, ij non adeo dei: sed potius hominis ludibrium, & ignauissima quædam, & sale empta mancipia dici mereantur.

25 Cur philosophi diuitum palatia frequentant, diuites uero philosophorũ phrõtisteria & diatribas non adeunt? An quod alteri sciunt sibi deesse argentum, quod ut habeant, ad opulentorum fores se conferunt, alteri sibi deesse mentem, se que ulleris aurei pecudes esse (quas Greci chrysomallas dicunt) ignorant, atque ideo sapientes non requirunt, quia nesciunt quo bono careant.

SECTIO QVARTA LIBRI SECVNdi in qua reddũtur causæ aliquarum cõsuetudinum, quibus Romæ erat usus.



CVr auspices olim Romæ inter omnes aues, uultures imprimis eorumque uolatum obseruabant? An quia has tanquam innoxias & reliquis mundiores putabant, ideo his in auspitijs utebantur. Nam uultur omni uiuo & animato sibi plus cauet, quam à mustela AEgyptius, solum uero ad corpora mortua accedit, atque in hoc item pietatem obseruat, cum nullum sui generis uel uita destitutum, & carentẽ anima sibi putet uiolandũ. At reliquæ aues ut aquilæ, ut noctuæ, ut accipitres cognatos alites perimunt, & uel uiuis etiam non parcunt, atque inde iocundas sibi epulas parant, quod qualiter inmundum non sit, & prophanum, si auis auem deuoret. Vel potius quia uulgus id quod raro conspicitur, & prodit in aspectum, contra naturam existimat, & à deo mitti arbitratur, ideo hisce auibus arbitrium suarũ rerum decernendum commiserunt, quoniam non nisi infrequenter appareant, & peregrinæ putentur, adeo ut si quando uideantur, id non sine diuino numine factum cuncti arbitrentur. Quã quam uero non earum auium ita multa sit copia, falsum tamẽ est quod aliunde nostras oras appetant.

2 Cur sacrorum antistites pontifices sunt nuncupati? An quia diuis potentibus, & rerum (ut quis dixerit) dominis sacra facerent, & ministeria eis deseruiẽtes exhiberent. An quia cum sacra quædam, & cerimonias constitutas agere deberent, si negocio aliquo maiore subeunte impliciti: obire nõ potuissent, deus illis nõ

improperabat:

improperabat, nec uitio dabat, nec ultraq; præstare possent, cogebat. dicti igitur põtifices quia quos possent diuis cultus exhiberent, & quæ possent sacrorum solemnia & officia operarentur. An quia sacra quædam quotãnis pro lignei pontis tuitione & salute dijs redderent, quæ magna cum reuerentia & ueneratione ab illis ueteribus factitari celebrariq; moris erat: nam sacer pons habebatur, & nõ clauis defixus, sed lignis cõpactus, & coagmentatus fuisse credebatur, & cassũ uetustate, & ruinosũ nõ diruebãt, sed reparabãt, nã demoliri: expiãdũ & nephas arbitrabãtur.

3 Cur seruum in furto deprehensum, furciferum appellarunt? An quia ueteres illi Romani, cum mitiore essent erga seruos ingenio, nec grauiter atq; seuere in eos animaduerterent, abunde esse pro pœna seruo qui furtum perpetrasset, putarunt, si lignum plaustri: in quod temonem refirmant, humeris appensum gestans, uiciniã circũiret seseq; circunspiciendum præberet, idq; maximum apud antiquos in famulos, qui tale quid commisissent, supplitium sumebãt. Nam qui sic conspectus erat, de cætero non amplius ei credebatur, sed cauebant ab eo, & tãq; subdolum atq; furacem & impostorem auersabantur & declinabant. furciferi ergo dicti: quia lignum illud aratri (quod furcam latini nuncupant) circunferrẽt. An potius quia furca hoc est suspendio ut plecterentur, dignissimi forent. est autem & furca incuruus bacillus, quo detortos arborum ramusculos, atq; surculos male rectos ad rectitudinem agricolæ inflectunt, de qua Flaccus. Naturã expellas furca tamen usq; recurrit, prouerbio eleganti dixit in eos qui & si meliora doceantur, spontaneo tamen naturæ uitio in deteriora prauaq; relabantur.

4 Cur cũ in nuptijs Græci Hymeneum uocent, uel auream Venerem uel Iouem Gameliũ, Romani Talasiũ aceinebãt? An q; iuuenis quidam is nobilis & ingenuus fuit, cui rapta pulcherrima cõiuge quo tẽpore ludos edidit Romulus, quo ad inspectandum Sabini cum familia conuenerunt, fœliciter cessit coniugium. precantur igitur ut perinde ac illi res uxoria pulchre successit: ita & nouis maritis accidat. An quia id nomen seu signũ & classicum dedit Quirinus, quo audito impetũ facerent & in Sabinas irruerent, ut sibi coniuges adiungerent. Est quoq; talasion idem quod lanificiũ apud Græcos. An igitur id significari uolebant, curiosam & diligentem futuram uxorem, atq; colus & lanæ industriam non relicturam, atq; ideo omnes qui adsunt tam affines & cognati, q̃ alieni talasion succlamant. An quia cum ob puellas direptas & ui captas inter Romanos & Sabinos illarum patres dura incruduisset contentio, nec dirimi ullo pacto bellum posset, ea conditione à pugnando cessatum est, q; illis uxores tantum, quæ ad pensum telamq; pertinerẽt, curarent. nullum uero aliud seruitium ministeriumue præstare tenerentur, sed pari

cum

cum maritis conditione & libertate uiuerent, ne illi sibi captiuas & famulas, sed socias operisq; adiutrices accepisse uiderentur.

5 Cur paruus ille triumphus qui ijs qui astu rem confecerant atq; incruentam uictoriam sine hostium cæde patrarãt concedebatur: dictus est ouatio? An ab euatione, hoc est festiuitate & applausu furoreq; Bacchico, qui Euius nominatur, cui deo potissimum aliquã portiunculã eiusce iocunditatis, deberi arbitrabantur. Nãq; à cantantibus & gaudentibus, atq; iubilis & tripudijs exultantibus, atq; transmittentibus, per urbem deducebantur: ipsaq; pompa magis ad uoluptatem comparata uidebatur, speciosusq; magis erat & gratus: quàm terribilis apparatus. An potius inde nomen traxit, quia cum ij qui Martiũ triumphum peragebant: bouem ex lege immolarent, qui uel suasu, uel fœdere inito, uel promissis persuasissent hostem, callidisque cõmentis composuissent pacem, quãuis populo rem salutarem atq; conducentem, ijs nõ nisi ouem mactare fas erat. Cũq; qui grandem illũ triumphum ducebant, curru esse doq; in celso conspicui, lauro coronati, tubarum clangore strepente (quale dum uiri accenduntur ad prælium: & pugna cietur atq; committitur) conueherentur, Ii autem non lauro, sed myrto quæ Veneris arbuscula est (quæ dea perosa est bellum) circuncincti caput, pedibus: tibicinibus pluribus præeuntibus, quorũ usus in pace est, perinde ac si non rem æquè dignam gessissent, cui triumphus ille magnificus deberetur, incedebant. Apud Spartiatas autem longe aliter res gerebatur, nã qui sanguine fuso iustoq; marte aduersarijs prostratis, tulissent ex illis trophea gallum dijs sacrificabant, qui uero uel industria, uel technis, uel dolo malo, uel conuentionibus, uel blanditijs, uel deniq; promissis fefellissent hostem, & ad præstandam obedientiam inducerent, perinde ac rem operæprecio maiorem fecissent, uel bouem, uel quascunque uellent hostias, uictimas ue: ante aras iugulare concedebant.

6 Cur nubẽtibus fœminis cesaries bregmatis id est anterioris partis capitis: ensis cuspide dirimebatur? An Latio more priscaque consuetudine id fit, quia primas gladio ferroque sibi uxores compararunt.

7 Cur qua nocte ad uxores accedere debent, ipsæ proprijs pedibus non incedunt ad thalamum: sed sublatas maritus in lecto reponit? An in eo uirginalis pudoris ratio seruatur, & uerecundiam quandam præse fert, quasi nõ ad uiros ipsæ, sed ad eas mariti ad zonam soluendam accessisse uideantur. An uero eam rationem habet, quòd olim spectaculis editis à Romulo: rapto primas habuerint coniuges.

8 Cur Romani uirgunculas domum ducebant: Lacedæmonij iam adultas? An quia alteri id dumtaxat agebant, ut dicto uiri: audientes & obsequentiores uxores haberent, easq; probos mores edocerent (ut inquit Hesiodus) & ad nutum effor-

marent

marent atq; effingerent. Nam tenerior ætas facilius obtemperat, atq; ueluti mollis cera deducitur, quæ uero iam occalluit, minus rectorem sequitur. Alteri uero ut firmiorem haberent prolem, non nisi ad fœminas maturas & prouectioris ætatis accedebãt, nec cõiugio copulari permittebantur, nisi ubi ipsi iam in uiros euasissent: quo tempore legis auctor sperauit, genitos ex utriusq; copula conceptus, uiribus robustis, & membrorum solidiori compage procreandos.

8 Cur Lacedęmoniorum symposia, concenationesque, quas Lycurgus instituit, phiditia appellabãtur? An quasi philitia, quasi uideri uellent non ut cibo potioneq; affatim ingurgitarentur, in unum conuenisse, sed prós philiam hoc est ad conuictũ & sodalitatem cõmunemq; amicitiam. An quia phidò parsimoniam sonat, dicta igitur phiditia, quia parcam tenuẽq; diætam in publicis conuiuijs phiditijsue accipiebant, & sobrium & modico sumptu temperatum ientaculum epulabantur. An uero phiditia pro editia ab edendo dicta sunt, quia ad esitationem, epulasque: in unum mutuo concedebant.

9 Qui dicuntur tribualiter insufflantes? An qui cũ graciles sint crassissimis uestimentis induuntur: ut corporis tenuitatem abscondant. Et qui cum facie sint inhonesta, aspectuq; turpes, frictionibus ascititium colorem comparare student. Et qui cum prauam corporis habitudinem fuerint sortiti, exercitationibus & artificijs eã ex industria meliorem reddere, uiresq; & robur membris acquirere moliuntur. Et deniq; quicunq; qui aliud uideri uellent, q̃ essent, tribualiter spirantes dicebantur. Nam tribus cũ uictimas super aras offerrent, quo altera alteram uicisse, & superasse sacrificiorum multitudine & splendore crederetur, pinguitudinem carniũ oris flatu instillabant, ut quod pingue non esset, per illam insufflationem obesum facerẽt uideri. Unde illud remansit, ut cæteri qui fucum quẽpiam fallendi studio efficerẽt, tribuum modo insufflantes dicerentur.

SECTIO QVINTA LIBRI SECVNdi in qua nonnulla de legibus.



CVr Solon legum Atticarum conditor, legem tulit, ne liberi alere parentes tenerentur: quos patres ex meretricio concubitu procreassent? An quia filios illorum parentum gerere curam decet, quos constat diligentiam adhibuisse natorum, ex qua matre nascerentur. At qui scorto prostibulisue cõcubuit, uoluptatem magis & Venerẽ secutus uidetur, q̃ filiorum quos inde suscepisset, rationem habuisse, nec curasse quicq̃, si nothi, & adulterini, spurijque uocarentur, dum modo tentigini turgenti fecissent satis. Ne cuius ergo extra legitimum thorum, genialemq; thalamũ, libido uaga grassaretur, uiolato Hymeneo,

meneo, & coniugali fulchro, sed solum legitimis nuptijs deseruirent, sapienter legis auctor instituit, ne liberi eos pro parentibus agnoscerent, uel haberent, qui minorem curam natis impendissent, quam coloni soleant, qui non nisi culto nouali segetes cõmittunt, diligenterque inspiciunt, cui telluri uites, cui oleas, cui poma mandent. Ob id etiã rationem habuisse Lycurgi lex uidetur, qui senectutem & canitiẽ parentum ali uetuit: nec natos erga eos parentes ciconiarum pietatem imitari (antipelargĩn Græci dicunt) uicẽue rependere permittit, qui nullum artificij genus liberos edocuißent, quò uictum sibi compararent.

2 Cur legifer Hebræus pro oue furto sublata: quattuor reddi statuit: pro boue uero intercepto quinque boues furem iußit persoluere? An quia qui ouem furatus est, uel sub alis brachiorũ, pallio suffarcinatam: gestans recessit, aut humeris post terga appensam, pedibus reuinctis ante pectus deportauit. At qui bouem abstulit, abegit tantum & impulit, boue suis uestigijs subsequente. mitiores igitur pœnas leges posuerunt, minusque puniunt eos, qui furando laborarunt, perinde ac si aliquid condonare, laborisque præmium rependere uelle uideantur, tanquã mercedem. An quia maiori dãno afficitur qui boue quam qui oue fraudatur, ideo maiorem multam rependere, soluendoque eße latronem lex uoluit. An uero quia ouinum pecus gregatim pascitur, & pastorem sequitur, & collegium neutiquam deserit, ut difficile sit furi: oculos fallere bubulci. At boues quibus mensibus Veneri nõ dãt operã, inter se coarmẽtantur, & soli uagi ab armento errant, & in nemora & in siluas abeũt, (quod atimagelãn hoc est despectui armentum habere Græci uocant) ut in montibus errantes facile qui uelit, subducere possit. Quod igitur factu procliuius erat, id ne fieret, legis lator grauiorem pœnã indixit, quod uero non æquè pronũ erat, uel leuiorem pœnam ad id prohibendum sufficere est arbitratus.

3 Cur legis lator Hebræus hunc ritum instituit, ut si in agro quispiam interfectus inueniretur: nec satis sciretur qui occidisset, ut ex proximiore urbe, aut uicino loco, ubi occisio patrata fuisset uitulam tollerent, super cuius caput astantes seniores deierarent, immunes sese eße à sanguine, qui effusus est, nec nosse se eum, qui cõmisisset necem, deinde uitulam cultro mactarent, permaneretque in reliquum tempus ager ille incultus, & inaratus, ut nullas fruges domino redderet? An quia sic facile reperire homicidam posse sperauit. Nam cum in conciones eas & conuentus, magna undique hominum manus confluere & congregari soleat, non difficulter futurũ credidit (ut sunt homines ad loquendum prompti) ut alter alteri narraret, & referret, quidnam super ea re sciret uel suspicaretur, ita ut uel certis inditijs, uel coniecturis non leuibus, sanguinarius ille & maleficus deprehenderetur. An uero quia etiam

dominus

dominus agri magnã omnino diligentiam impenderet, in disquirendo cædis auctore, ne ager ex quo magnos prouentus percepturus eßet, si nulla in eum semina mitterentur: perpetua sterilitate dãnaretur. Vitulæ uero illa decollatio, ad placandum deum nè cruor ullus inultus, aut scelus impunitum aliquod uideretur, de quo non sumeretur supplicium: spectare poterat.

4 Cur AEgyptij maxime reddere rationem uetustatis poßunt? An quia cælestia contẽplari soliti, tum propter otiũ pingue quod sacerdotibus præstabatur, (nam & reges ipsi sacerdotio ut inquit Plato fungebantur) tum propter aerum tẽperiẽ & salubritatẽ: magis (quod antiquis temporibus gestũ est) meminisse possunt. Nã nullæ apud eos exustiones, uel eluuiones cõtingũt, sicut apud cæteros hoĩes frequẽter eueniũt, quibus rerũ priscarũ monumẽta deleri cõsueuerũt. Græci uero si ad AEgyptiacæ gẽtis uetustatẽ cõferãtur nouissimi sũt. Nã inter eos Atheniẽses ad Ericthoniũ quẽdã (quẽ ob id autochthonũ id est è terra satũ appellãt) originẽ referũt, uel ut alij ad Cæcropẽ. Argiui nil supra Phoroneũ, & Niobem aut etiã Inachũ reminisci queunt. Thessali à Deucaliõe & Pyrrha (sub quibus inundatiõe illæ regiões laborarũt) ducũt primordia. Vnde illa AEgyptij sacerdotis ad Solonẽ sapiẽtissimũ, grauis & seuera increpatio. O Solon Solon: Græci uos sẽper pueri estis: nulla aũt penes uos tẽpore cana disciplina est. Cuius rei etiã nũ præterea in causa esse poßũt assiduæ corruptiões & interitus, ut qui senes futuri erant cõtinue hoĩes renouẽtur moriãturq; alij, alij de nouo succedãt. Assyrij autem & AEgyptij nõ solas uiginti & septẽ annorũ myriadas (ut inquit Hipparchus) ob seruauerũt, sed integras reuolutiões & periodos septẽ illorũ planetarũ (quos cosmocratoras ꝙ mũdo dominẽtur uocãt) memoriæ, auctore Iãblico, mãdarũt. An uero uetustissimi ob id uidẽtur, ꝙ sicut quibusdã Barbarorũ trimestris erat annus, apud Romanos autẽ à principio duorũ mẽsiũ, Arcades autẽ ex Græcis quatuor mẽsibus pro anno utebãtur, ut Acarnanes sex mẽses in annũ cõputabant, ita & apud AEgyptios ab initio unius mẽsis fuit ãnus (ꝗuis quadrimestris post esse cœperit) quã ob rẽ (inquit Plutarchus) qui nouißimã regionẽ inhabitãt, nuperrimeq; in cognitionem uenerũt, omniũ sese hominũ antiquissimos temere iactant, & innumeram annorũ multitudinẽ in suis originibus numerant. An propterea conseruatur apud eos ueterum rerum memoria propter historias, quas ex columnis didicerant: in quibus si quid egregium & præter opinionem accidißet, uel quippiam admiratione dignum contigisset, & memorandum, quod in acta referretur, tam in actionibus & rebus gestis, quam in inuentionibus & disciplinis: diligentißime conscribebant (ut ait Proclus) & ueluti per manus committebant ad posteros.

LIBER TERTIVS, CVIVS SVNT SECTIONES DVAE.

SESCTIO PRIMA CONTINET EA quæ ad super naturalem philosophiam spectant.



Vr unũ ente superius Platonici affirmant? An quia & Deus, & materia, ut una dicantur, entia tamen non sunt. ille quia omni ente præstantior, ut pote ipsa essentia: quæ ens non est, ut nec albedo: albũ. hæc, quia infimũ ab entibus, & deiectissimum gradũ tenet. An quia oĩa entia quo hoc ipsũ sũt: in entiũ unica appellatiõe conueniũt, & uniũtur, unitas ergo prior est, qua oĩa ceu quodam nexu uinciuntur.

2 Cur dæmones (ut tradunt) æris strepitum maxime fugiunt & perhorrescũt? An non quodcunque genus dæmonum, nec aereum, nec igneum: id patitur, sed subterraneum & lucifugum (quod uocant) quod cum plurimum in tenebris degat, lucẽ odio habet, & quæcunque ex se emittunt fulgorem. AEs aũt splendens & rutilãs est, & tum maxime si à solis radijs præstringatur. An quia dæmones (ut ferũt) corporibus non uacant: (Vnde & semen, & generationẽ emittere possunt, & ex combustis illis, cineres remansisse, apud Thuscos AEthruriæ populos uisum narrant,) quibus assumptis, nunc in maiorem, nunc in minorem molem se contrahunt, & modo sub hac, modo sub illa (mouente intus & conformante phantasia per uarios cogitatus, quod nobis in pudore & metu accidit) specie apparent, spectandosque se præbẽt. Perinde ac nubes quæ uarijs indutæ figuris conspiciuntur: prout agitantes conformauerint uenti. Et sicut aer: qui uariegatus interdum multis coloribus spectatur, qualescũq; in eũ ab obiectis inciderint colores. Ergo cũ materiæ crassitudine nõ careãt, ingresso propter strepitus, & æris fragorẽ, aere: penetranteq; in imũ: dissecãtur & diuellũtur, & disiũcta corporis cõtinuitate dolẽt. Vel sicut nos re amissa & opũ iactura dolemus, q̃uis dolor nõ subsistat intra nos, uel eius causa. Vel quia spũs sunt, qui dolore affici & sentire sũt nati, nõ enim neruus qui sentit in nobis est, sed cõmeãs per neruos spũs. Hinc igitur qui dæmonas fugare uolũt, enses euaginatos fulgenti acie suspẽdũt, quos illi cõspicati, sibi male metuũt, & attingere cauẽt. Perĩde ac latrones qui uiso ad capitis ceruicalia, ducis bello et Marte ferocis pẽdẽte gladio, fugã corripiũt. Nã dæmonũ corpora cũ sint mollia raraq; & facile cedẽtia, leni ictu discindũtur, q̃uis ut aquæ partes, uel ut aer dissectus in se ipsa facillime coeãt. An uero sicut serui ad scuticã & flagella, pueri ad pædagogorũ ferulas ualde

ualde pallent, ita & improbi maliq; angeli:uel pœnas apud imos manes dare soliti: æris percepto sono mox cōpedes atque cathenas reputāt,quibus uel genuina & insita malitia, uel criminis uoluntaria electio, dignissimos effecit.

3 Cur Moses qui mundanam cosmopæam tradidit, angelorum creationem non adduxit? An ut nè rudi populo, & ad idolorum culturam prono ansam aliquam occasionemue daret,ut eas intelligentias atque angelos,quorum genitum attulisset, pro dijs colerent,eisque deo debitam reuerentiā exhiberent,quæ tanto rebus omnibus creatis:præstant,quanto anima corpori:& spiritus partilibus rebus,& quæ dissipantur,præstantior est. An uero quia satis sibi fore putauit,ad AEgyptiorū superstitionem retundendam(apud quos diu diuersatus est) si res illas esse creatas ostenderet,& ab alio prodeuntes,quas illi fermè omnes pro diuis adorabant, unde fictum:apud AEgyptum:deos,cum Titanes expugnarent cælum, fuga concessisse sub animalium & reptilium forma latitantes,quia & mures:& mustelas,& crocodilos,& onocephalos,& porrum,& cepas,& arietes tanquam sacra contingere,à sacerdotibus:quibus id genus sordes alere cura est,aut morsu uiolare probibētur.

4 Cur diuinas apparitiones sub ignis forma,sacris theologis conspectas sacrarum litterarum oracula plurimum præscribunt? An quoniam nihil est per quod magis, quam per ignis purissimum & illustrans omnia elementum,sanctarum mētium dotes & proprietates explicentur,quæ à materiali omni, & pedanea cognitione syncerissimæ sunt,& irradiationis diuinæ radijs præstringuntur. An quoniam nihil in omni rerum natura facile inuenire possis,quod diuinam magis in humanis essentiam repræsentet. Namq; & meat per omnia,& ab omnibus eximitur, & nisi supponatur materia,utique ignis non uideatur,& omnia peruincit,& superat, & seipsum clanculùm insinuans fomiti,latente uisum augmento,adauget & in maiorem molem producit,quæ cuncta in deo,ut in archetypo,& exemplari,in igne autē perinde ac in imagine& icone uisuntur. Accōmodatur autē nōnunq; ad diuina denotanda aeris elemētū,quia ritu numinis omnibus insinuatur, & uitam præstat, atq; cū sit in oībus,fugit tamē cōspectū,& inuisile est,nec quo subeat, aut unde progrediatur,quispiam satis nouit,ut sacræ litteræ produnt.

5 Cur cum multæ adeo sint intelligilium mentium (quas intelligentias philosophi uocāt)distinctiones,& ornatus, omnes tamen promiscuo uocabulo angeli in alma sacrarum litterarum traditione nuncupantur? An quia in cælesti illo principatu omnia quæ inferioribus attribuuntur, supremis etiam adsunt,& si non è contra,ita ut non abs re functiones omnes, & munera, & dignitates, & nomenclaturæ primis uendicentur. Quia qui supra sunt, & mox (si fas sit) ab ipsa di-

uinitate purgationem, illustrationem, & perfectionem docentur, & initiantur, comprehendunt, & continent, quicquid à subiectis mentibus per superiorum transmissum: ultro citroque habetur. An uero cũcta quæ superis: & inferis etiam: & omnia in omnibus adsunt, q̃uis in illis ratione primaria, & in totum: & quidem exactius: suppositis autem per partes, & obscuriori sane ratione, & magis humili modo competant. Sed ita constituente diuina lege, & principe dei dispositione comparatum est, ut prima mediantibus secundis, & rursus hæc tertijs intercedentibus agãt. Perinde ac sol almus: qui non passim, & æque primo diuini luminis fulgorem omnibus impartitur, sed primum quidem in diaphana & translucentia corpora, deinde autem, ut quæque illustrationis sunt capatia, ita singulis radios diffundit, atque dispensat. Cunq; nihil immediate: in orbe hoc inferiori (nisi angelis caduceatoribus, unde sunt nomen consecuti) rerum nouarum exerceant. Hinc in angelos multa sæpe referuntur, quæ illorũ ministerio, & opera sunt peracta, rursusq; interdũ quæ angeli gesserunt, supremi intellectuum ordines fecisse dicuntur, quia ad illos auctores (ut qui expiauerunt, lustrauerintque, & certiores fecerint subiectas mentes, quos angelos dicimus) diuinarum illuminationum, quæ sibi ipsis emicuerunt, perinde atque ad primam & antiquissimam causam, res ipsa tandem reducatur.

6 Cur philosophorum præstantissimi quique: unum rerum principium duntaxat ponunt & arbitrantur? An quoniam bina esse impossibile est. Nam aut neutrũ haberet omnia, aut alterum, aut utrumq;. Si neutrum: essent ambo imperfecta, & indiga, & id utique magis principium appellari deberet, quod unũ comprehenderet cuncta, quæ alterutris adsunt. Si alterum, reliquum indigentius esset, & pars potius eius, quod omnia contineret. Si autẽ ambobus omnium sit æqua potestas: id ex ijs est: quæ fieri neutiquam possunt. Quia si alterius naturæ & substantiæ sint: unum perimeret aliud, & mutuis infestisque odijs se prosequerentur (quod principijs non conuenit) Et duo eiusdem sortis esse nequeunt, quia alterum superfluo esset, & neutrum per se necessarium, sed utrumque. Et cum omnis dualitas ad unitatem reuertatur, illa ad unum aliquid: ratione cuius subsisterent, reducerentur. Sicut quæ sunt eiusdem speciei: participatione unius cuiusdam, sub eadem specie esse dicuntur. Atq; hinc optimi philosophorum malum, nec quid per se subsistens, nec alicuius partẽ esse comprobarunt, quia nec ex bono malum proficiscitur, nec duo principia esse possunt alterum malorum, alterum bonorum, quia ad unum tandem redigerẽtur, quod uel bonum existens mala produceret, uel malum: esset auctor bonorum.

LIBRI TERTII SECTIO SECVNDA

in qua insunt quæ ad diuiniores sermones spectant.

Cur



CVr Deus ut bonus tãtopere à theologis celebratur? An quia in oĩa quæ illius bonitatẽ participare possunt, mirifica quadã benignitate & fœcũditate sedispergit. Nãq; bonũ ipsum (quamuis ens ipsum simpliciter per cũcta pergat) ipso tamẽ ente (ut philosophorũ qui fuere optimi asseuerãt) tũ superius est, tũ ipsius entis efficiẽs causa: & finis. efficiẽs quidẽ: in quãtũ nullũ ens quatenus est agat, sed quatenus bene est, & bene se habet. finis autẽ, quia nihil dũtaxat ut agat, sed ut bene bonumq; opus agat, ad agẽdũ disponitur. Vnde nihil omnino malũ esse sinit, aut omnimodã priuationẽ admittit, quæ si prorsus esset, ipsa seipsam distrueret, sed id quod malũ dicitur, etiã bonũ est, & propter priuationem maioris boni, aut actionis quæ inesse debebat, aut propter inordinatam motionem appetentiãue: tale nuncupatur: cuius si quid expers est, id nõ propter dantis illiberalitatẽ, sed propter recipiẽtis ineptitudinem cõtingit. Atq; in hoc deũ undique splendẽs & rutilus sol emulatur, & diuinæ prouidẽtiæ curãtis omnia, unicũ & singularissimũ est exẽplar, cuius si quippiã capax nõ est, id patitur: quia illustrari prorsus ineptum: & opacum est, non quia Phœbus sui luminis radios impartiri nolit, qui cũ minimũ pilũ: aut tenuẽ lanam nõ penetrat, eodẽ momẽto densissimo crystallo suũ nitidissimũ iubar non abnegat. Hinc deum & semper uoluisse prouidentiam habere de rebus, & semper potuisse ornare mundum: philosophi nonnulli non uulgaris notæ uolũt, ad quod mũdi æternitas sequitur. quia semper deus uoluerit dare ornatũ rebus, quia bonus: qui nulli perfectionem propriam inuidet, & quia semper posset, nec quicquam eius uoluntatem moraretur, cum nullus sapiẽs (quibus deus deterior non est) quod efficere nequeat, exoptet. Qui utique aliquid dicerent, & forti fundamento inniterentur, nisi fides (quæ omni humana ratione potior est) oppositum sentire: & nouitatem creationis credere uideretur. Ex hoc etiam nonnulli Platonicorum æternum supplicium negauerunt, tum quia diuinæ bonitati non conueniret, ut animæ in nunquam finiturum tempus puniantur, tum præcipue quia id quod in pœnã daretur, boni saltim in eo rationẽ haberet: quòd stabilitatẽ quãdam & cõstantiã perpetuã seruaret. Verũ hæc nihil impetunt sacros: qui alijs atq; alijs tormentorum generibus diuinæ legis transgressores afficiendos fore censent: ita ut perpetuo eadem pœnarum ratio non constet. Malũ igitur nec in materia est, quia nullas agendi uires habet, nec in corporum fœditate, mutilationibusque & morbis: quæ si omnino mala essent, proprium destruerent subiectum, & ipsa non consisterent. Nec omnino canum ferocia, aut luporum rapax seuitia, aut leonum immanitas, aut serpentum uenena, mala sunt prorsus, sed malum esset: si ea animalia quibus hæ affectiones insunt: ijs priuarentur, quæ sibi ad tuendam ui-

tam sunt diuino munere concessa. Sed primum quidem in proximas intelligentias: quae ueluti purissimum speculum: quantum capere possunt, diuinae bonitatis largissima munera suscipiunt: ipsum bonum simpliciter suam liberalitatem ostendit, quae deinde ad alias subtus positas mentes reddunt & reuerberant. Est itaque bonum superius ente: ut diximus. Nec uero ipsum ens: prout ex essentia & esse cõponitur, principium esse potest: quia simplicissimum non est. Nec essentia: quia eius perfectio est: esse. Nec ipsum esse per se principij rationem sortiri potest, quia sine essentia intelligi non potest. Nec quoquo pacto deus entis cognomine censendus est. quia ut optimae omnium causae nihil simile habere cum suis effectibus, sed alterius longe rationis esse dignoscũtur, ita nec deo quicq̃ de uniuerso ente adhaeret, qui eius est unicus effectus. sed multum ab omni ente alienissimũ putare oportet, ut solem calidũ appellare non licet, q̃uis ex se calorem producat. Et sicut lineae à centro exeuntes: à se inuicem in infinitum separatae procedere intelligi nequeunt, quia circũferẽtia contenta inter lineas illas in immẽsum distantes infinita esset, & aequalis peripheriae toti q̃ circũ obtẽderetur. Sic nec rerũ generatio in infinitũ labi, & exire in deterius fingi potest, quia ad entia sic deueniretur: quae inter se omnino dissiderẽt, & in nulla re cõuenirẽt, quod fieri nullatenus potest. Quia oĩa saltim in hoc cõueniũt, quod sunt aliquid: & quòd ab una omniũ prouidẽtiã habẽte & effectrice causa prodierunt.

2 Cur si deus oĩa bona efficere uoluit (ut uetus quidã sermo est) nõ in angelis, & intelligẽtijs, supremisq̃ illis & intemeratis mẽtibus cõstituit, sed ad hoĩes, feras, stirpes, & alia id genus q̃ materiae imperfectionẽ habẽt annexã, successiuisq̃ uicibus & pereũt, & regenerãtur, generationẽ perduxit? An quia nec diua illa & nobilissima entia q̃ à materiae uilitate separãtur, bona quoquo pacto, esse possent, si ad gignẽdũ animũ nõ appellerẽt. Nã cũ genito generãs omne praestãtius sit: si steriles permãsissent, nec ex se progignerent, bona uel esse uel dici non mererentur, cum priuarentur eo ad quod sua spõte & bonitate inclinãtur, propter quã ipse etiã deus ad fabricãdũ hũc uisibilẽ mũdũ intẽdit, & ad uniuersorũ habẽdã prouidẽtiam se contulit, sed infimae & abiectissimae & postremae omnium essent, cũ ultra eas nihil esset ab illis generatum, quod cum dictu sit impium: ideo res in immensum generari, uicissimque corrumpi, summa necessitas coegit.

3 Cur antiquissimũ humanae stirpis propagatorẽ diuina mãdata trãsgressum: ut è ligno uitali comedit, qui ante brutorum animalium more suã nuditatem nõ intellexerat, cognitionisque expers fuerat futurus, sacra produnt eloquia boni & mali scientiam habuisse, & oculorum aciem recepisse, ut nudum se esse cognosceret. Cum ob id quod est praeuaricatus, supplicium potius perpeti sit meritus, nec ulli praetium

pro

pro pœna dari conueniat? An grauissima id commissum pœna non caruit, nam primum ut à deo in hortum uoluptatis intromissus est, adeo intellectu pollebat, & sensus habebat subiectos, ut qua ille duceret, promptissime sequerentur, tantumque gradum perfectionis tenebat, ut ad effigiem creatoris productus, pauloque ab angelis dei diminutus diceretur, præceptaque domini receperit, cum nullus nisi ratione præditus imperia suscipere possit. At cum in peius relabi cœpit, & in uetitum nixus est, perditam cupiditatem secutus, mox deteriori ingens licentia data est, & sensibilem animæ partem dicto habuit obaudientem, & recalcitrantem, frequẽtesque adeo calces regerentem, ad instar desultorij equi qui sessorem deiecerit, ut non abs re de eo hymnographus ille psaltes cecinerit, Homo cũ in honore esset, non intellexit, sed pecoribus redditus similis est. Et in epulas tribuli, cardui, spinæ, ut in sudore uultus esitaret, perinde ac iumento, assignata fuerunt, ut diuinis iussionibus non paruit. Grauissimum ergo nec satis æstimandum, perpetratum nephas, supplicium consecutum est. Nam qui plurimum antea intellectus ope ualebat, cuius opus est imperare, & rerum ueritatem, quam habet pro obiecto, & falsitatem cognoscere, (nec enim de cælo quis dixerit quòd bene uel male est rotundum: sed uero aut falso, nec de triangulo, quòd bene aut male habeat paria duobus rectis) ut ad sensuum affectus prouolutus est, & à gloria qua erat mirificè coronatus, excidit, cœpit circa rerum malitiam & bonitatem quæ solum sensilibus rebus competunt & adaptantur, ciuiliter agere & conuersari. Nam de cibo dicimus hoc alimentum est bonum: & illud est malum: & hic piscis est bonus: & ille est deterior. Nec uero in eo diuinæ pollicitationes stabant, ut si de ligno probibito in escam accepisset, euaderet sicut unus è diuis: qui sunt bonum & malum scientes, sed quod futurus esset: sicut principes & magnates (qui aliud non sunt ꝙ̃ sanguis & caro,) non autẽ deus quispiam mortalis, aut angelis paulum inferior diuina illa uerba uoluerunt. Tã late nãq; patet apud sacras litteras dei significatio, ut ad iudices, & angelos & eos qui sunt in potestatibus constituti sæpius extendatur.

4 Cur alium alio de deo magis sapere dicamus, cum deus à nemine cõprehẽdi possit, nã cũ simplicissimus minimeq; cõpositus existat, fieri non potest, ut partem eius quis sciat, partẽ ignoret, sed integre & ex toto nesciatur, cũ perfecte à quopiã nequeat capi: adeo ut nõ plura de deo cognoscere dici debeat Orpheus: quẽ theologum per excellẽtiã appellãt: ꝙ̃ rusticus qui uis in moribus agrestibus nutritus. An diuinior quis ideo appellatur, quia plus de bonitate, sapiẽtia, & potestate diuina per effectus & operationes, (per quas obscuro licet & tenui uestigio creator cognoscitur) consequatur, quamuis ipsam dei substantiam & quidditatem nulla ex parte

contingat. quibus cõfecit quæcunque, quæ tanquam pientissimus pater uoluit, sapiẽtissime disposuit, immensa potentia executus est. An potius eũ diuiniorẽ dicimus: qui plura negat, nõ qui plura de deo affirmat: nõ tã quia etsi in cẽtũ ora, cẽtũq; linguas hoĩes soluantur: minimã partem, immo ne gry quidem aut punctũ indiuisibile eorum quæ deo competunt, enuncient & asseuerent. Sed quod non mendaces ij omnino esse non possint, qui de deo aliquid affirmantes, q̃tumuis magnifice audent effari aut loqui, quia quicquid de deo dixerint, peccant aliquid impossibile attribuentes deo, quod deus ipse non est. Perinde ac si quis saporem esse diffiniat quantitatem, aut colorem esse magnitudinem, aut res unius prædicamenti in diuerso prædicamento reponat. Nam si deum ingentem, fortissimum, & quem omnia reuereantur, uoces, & omnia deniq; epitheta addas, & in cumulum cõponas, quæ attoniti, & diuino furore incalescentes, & agitati prophetæ in hymnos diuinos detonantes, altissime sunt elocuti, dum tantum non moriones & amentes, in laudibus diuinis decantãdis: se reddunt, semper erras. & recedis proculq; à deo es, non adeo quia pauciora, sed quia aliena ab eo dixisti. Vt si quis regi decem millia nũmorum aureorum possidenti: admiratione ductus asserat, tanta est fœlicitas tua O rex, & opum copia, ut mille nummos argenteos in tuis ærarijs habeas repositos. Hæc si quis dicat, insanus uidebitur: & nõ adeo fuste & supplicio dignissimus, ꝙ mille adesse illi cui sint decem millia dictitarit, sed ꝙ in laudem dedisset argentum regi, qui multis auri talentis abundaret, nec quicq̃ ex argento, sed ex auro omnia obryzo & purissimo tum pecuniam tum uasa conflata habuisset. Quãobrem qui altius intelligere uisi sunt, q̃tum supra sapientum omnium contemplationem deus attolleretur, silentiũ deo pro laude satis fore putarunt, & tacita cordis ueneratione magis q̃ linguarum odis, & sermonibus diuinitatem confessi sunt & adorarunt. Sapientior igitur: & magis sapere circa res diuinas ille nuncupabitur, non qui plura de deo affirmando pronunciet, sed qui plura de eo certa probatione abnegare didicerit. Et magis ille qui uiginti (si ita contingat) q̃ qui tria de deo prædicata abnegarit. Atque ij non solum sapientiores merito reputantur, sed etiam deo proximiores, nõ loco, ut ineptum imperitæ multitudinis uulgus opinatur, sed cognitione & mirifica sapientia ab scriptura uocantur. Vt si homines mihi consideres maris imperitos: qui nunq̃ conscẽderunt naues, sed in continenti & epiro uixerunt, inter quos unus illud cognoscat, ꝙ illud quod nauim appellant, non est animalis genus, alius etiam illud consequatur, quod non est quid planum, alius quod in hac homines maria transcurrant, alius etiã illud didicerit, quod non est rotundum quid, alius etiam illud scire potuerit ꝙ nõ est instar putei in profundum excauata, alius ꝙ non pyramidis more in conũ paulatim

&

& mucronem desinat, alius tandem tantum in cognitione processerit, q̃ præter cætera quæ alij negarunt, neget illam equalem undiq; in extremis partibus ut in medio, hic postremus: non temere ad formam & effigiem nauis cognoscendam magis proxime accedere: à nullo non diceretur.

5 Cur Deus infinitæ potentiæ dictitatur? An quoniam infinitæ durationis est, quanto enim aliquid diutius & in longius temporis spatium, uitæ diuturnitatem producit, tanto maiori potentia præditum esse censetur. Deus igitur infinitum per se primum est, cætra uero quæ sunt æterna, & quo sempiterno agunt, in quantum diuinæ illius infinitudinis participationem communicant.

6 Cur Deus in oraculis nonnũquam uetustus dierum, interdum autem iunior appellatur? An uetustus quidem, & antiquus, plenusque dierum, quia ipse omnium rerum ortus & substantias antecedit, ut potè à quo omnium entium generatio procedat. Vt enim hoc & illud esse à particularibus causis deriuatur, ita & simpliciter esse: à prima ipsa omnium causa suppeditatur. Iunior autem ideo dici potest, quia omnibus rebus superstat, & post omnium rerum interitus & abolitiones ipse solus nihil immutatus permanet, quoq; uiget sempiterno, quod ipsam simpliciter essentiam mensurat, ut mutationes actionesq; metitur tempus. Vnde & cataclysmum habitare deus traditur, eo q̃ in illuuione & inundatione totius orbis, nihil interim diuinitas patiatur, sed æterna perstet nullis casibus obnoxia. An uetustus & senior deus fertur: quatenus principiũ est, quod omnibus quæ ex principijs constant, antiquius esse cõsueuit. Iunior aũt in q̃tũ finis, qui tandẽ ultimo post oĩa succedit. An quia deus unitas & simplicissima est, ideo & priscus longæuus ue & iuuenior appellari mereatur, quæ pro ut numerorũ primordium est, antiqua. & iunior dici potest, in quantum numeri qui ab ea magis recedunt, seniores uidentur, q̃ plures obtineant unitates. ut homines qui plures annorum periodos impleuerunt.

7 Cur Deus efficiens finis & forma nũcupatur? An efficiẽs ideo dicitur, quia cum nihil temere & fortuito fiat, sed omnia ab aliquibus causis procedant, atq; dependeant, quæ interim ab alijs deriuantur, nec res in infinitum recidat, cuncta tandem ad deum tanquam extremam & ultimam causam, quam ultra nullam aliam assignare est, quæ rebus præficiatur: referantur. Cum uero agentia naturalia agant propter finẽ, qui etiam alio tendere & spectare uideatur. Nã & politica facultas, quæ in humanis maior est, ad quam alia diriguntur, ipsa etiam propter aliud quid negociari, & res agere, aliumq; finem quærere, in quo cõstituta quiescat, existimatur. Sed cum procursus in immẽsum non excedat, multiq; immo innumeri penè fines eidem operi assignentur, omnia deniq; ad deum redeunt, cuius uel iudicio, uel uolunta-

te,

te, sic illud sese habuerit atque constiterit. quem si excedas, nullum aliũ inuenire possis: quem reddas. Deinde cum forma in rebus naturalibus id sit, quod integrum esse rei dat, & per quam unum quodq; in hac uel illa specie constituitur, non enim per materiam, quæ una & eadem omnibus quæ oriuntur, & pereunt, substernitur, differentiam sortiuntur: ideo deus iure forma dictitatur: & mundorum uita in Hebræorũ litteris appellatur: quia si seiugatum à rebus intelligas, perire mox mũdum, & in nihilum reuerti, necessum est. Perinde ac corrupta forma dissipari substãtiã, & soluto nexu omnia quæ uintiuntur delabi & uolitare contingit. Nam continet omnem orbem, cælumq; & terras deus, & omnia quæ in illis continentur, & continuo rebus esse impartitur, & participat etiã immortalibus, quæ nisi iugiter uiuificarentur, & uirtutem qua se tuerentur, acciperent: neutiquam infinito tempore perdurarent, cum nulla uirtus corporea infinitam uim habere dignoscatur: quam nullatenus illis abnegare possemus, si in perpetuũ se ipsa diffunderẽt, absq; hoc quod per intercisum defluxum uirtutis: potentiam à deo qua perẽnarent, mutuarentur. Vnde subijt quosdam eorum qui ingenuè sunt philosophati, ut dicerent: cælum genitum esse, quinimo & indies gigni, quòd nunquam sufficiens ipsum sibi sit immortalitatem dare, & incessabili motu cieri: ni aliunde sibi eà uis precario condonetur: quam cum non totam simul & affatim suscipere finitum existens possit, ut particula aliqua indies præstetur: oportet, si immortale futurum sit, nec motum interpellare debeat. Conuenientius igitur deus causa: quam opifex & effector diceretur, ut tria illa causarum genera in se complectitur.

8 Cur Deum intellectum esse: & rem quæ intelligit, & quod intelligitur asseuerant? An quia actu intelligit: nec est in potentia, aut resistit unquam: perinde ut nos qui cum diu à contemplando quieuimus, actiones mentis in opus deducimus. Est autem intellectus omnis: non tam diuinus: quam etiam humanus, tum id quod intelligit, tum id quo res intelligitur, tum demum res ipsa quæ ab intellectu comprehenditur. Nihil aliud est enim intellectus: dum actu percipit, q; forma ipsa rei quam intelligit: à materiæ commertio & conditionibus seiugata, & abstracta. Perinde ac si sedeat Socrates, sessionem ipsum Socratem qui sedet merito appelles. Cum autem in deum, & hominis intellectum, dum actu rerum speculaminibus incumbit, tria illa coeant & copulentur, discrimen tamen est, quia deus nunquam non speculatur (unde & geometriæ dare operam à Platone forsam dictus fuerit) nos uero interdum agimus, & ad speculam rerum egredimur: mentemq; obuoluimus. Illud etiãnun interest, quòd deus non præsentia dumtaxat, & quæ fuerunt, sed & quæ uentura trahũtur, uno ictu cognoscit, & cõtẽplatur. At hũanus intellectus angustis adeo limi

tibus

dare operam geo metrie a Platone dictus est deus

tibus includitur, ut uix quod ante prospectũ positũ iacet, mẽtis acumine cõsequatur.

6 Cur animæ partes quibus ratiocinantur & appetunt, diuersas inter se esse opinantur? An quia altera quidem agit, altera uero patitur, & altera circa intelligilia, altera circa suauia & tristia uersatur. Et alterius quidem uirtus & perfectio per doctrinam acquiritur, alterius cultus & probitas per optimam institutionem, & probam à principio educationem comparatur. Et cum contraria in eodem tempore consistere circa idem nõ sint nata, contrarias eas esse uires tam quæ ratiocinatur, tam quæ concupiscit, liquido constat, quæ infestis inter se odijs pugnare tã sæpe dignoscantur, nihil autẽ quicq̃ sibi ipsi pugnat. Nam quod ratio uetat, interdũ praua libido prosequitur. Vt apud Euripidis Medeã suadet quidẽ iracundia, sed prohibet mens melior, agi ferrũ in uiscera natorũ. Disco (inquit) facere q̃ debeo: mala: sed furor sanè meis est consilijs potior. In continentibus igitur uehemens utriusq; pugna est, & resistit, quo ad potest, ratio & uincit quidem superatq; ut plurimum, quãuis interdum (si paulo magis natura obstitit, aut durius affectio rectoris frena momordit, atque protraxit) tanquam iusto marte uicta cõcedat, & manum tollat. Et ij quidem hominum comitialem morbum patientibus, quibus per circuitum recurrit malum: aut alium quempiam morbum qui per orbem redeat, maxime similes esse uidentur. Intemperantes autem adeo subiectam sub pedibus rationem habent, ut nihil aduersari cupiditatibus contendant. Sed alij quidem supini, alij contrarij, alij in dorsum flexi: & obliqui, (ut inquit Plato) post uitia defferuntur, non absimiles ijs qui tabem immedicabile malum: aut aquam intercutem: aut aliam quampiam id genus ægritudinẽ quæ transijt in habitum: & solidas corporis partes occupat, propter crapulas & epulas immodicas contraxerunt, & incontinens quidem ui trahitur: intemperans autem sponte prosequitur.

7 Cur Plato & Aristoteles & cæteri philosophi (ut nõnulli uolũt) salui esse legem non habentes potuerunt? An quia si iuste uixerunt patrijs recte positis legibus obtemperantes, nec in ijs quæ sibi facta ab alijs noluissent, (ut ratio prescribit) cuiuis alteri nocuerunt, naturæ scita obseruantes, id abunde illis sat erat, ut seruarẽtur. Nã lex solis Hebræis data est: qui eam sibi dari à deo per Mosem: cõmuni omnium consensu & acclamatione postularunt. Nunc autem fide per orbem uulgata: in catholicem persuasionem assentiri omnino necessarium est, quæ per omnes sub cælo plagas propagata est: qui ab æternis auerni supplicijs liberari quærunt.

8 Cur scriptura ignem caliginis nomine significat, tenebras super abyssum, id est ignem super aera (ut doctissimi exponunt) insistere narrãs? An quia sicut quod in multa nocte est, non uidetur, ita nec ignis elementum uisu percipi potest propter raritatem,

ritatem & tenuitatem à conspectu se subtrahens, alioquin si luceret aer: medijs noctibus totus ardere uideretur.

9 Cur morituri minus animæ suæ bene consulere, aut quid factu optimũ sit prouidere possint? An propter uehementissimum dolorem, quem in separatione & discessu sentiscunt. Nam intensior labor quicunque totum animum ad se trahit, ut nihil alijs rebus uacare, aut minori dolori prouidere concedat. An propter immensam uitæ cupiditatem, qua quò minor cur uiuere uelint ratio est, eo impensius distorquentur. An quia nonnullos scelerum quæ iniuste patrarunt, conscientie exagitat & indesperationem præcipites agit, ut indignos se censeant, qui ueniam petant, cum nunquam tale quid opus perfecerint, ut eam consequi mereantur. An uero quia nonnullos deus in extremo illo mortis discrimine derelinquit: qui sæpius per uitã ab eo tantum non admoniti, & conuocati, nunquam aures castigationi dare uoluerunt. An quia parentes & propinqui & liberi & uxor nonnunquam sunt impedimẽto, dum uel de hæreditate interpellant, uel blãditias admouẽt, & non esse eos eo morbo perituros persuadent, aut omnem cogitationem mortis (quæ uel eos sola saluos facere potuisset) ab animis quo ad possunt, reuellunt. An quia improbi dæmones, tunc omnibus uiribus enituntur: & machinas omnes prædæ inhiantes, in sublime attollunt: quò eum qui iam periturus est, à deo remotum capiant.

10 Cur qui circa diuinos sermones theologizãt, alij liberos nos esse cõtendũt, alij autem nihil in nostra situm esse potestate affirmant? An ut omibus omnia fiant, ut omnes lucrifaciant, sicuti filij medicorum non unico alexipharmaco antidotoue ad omnes morbos pellendos utuntur, nec gubernator unam uiam tantum nouit, ut se uentorũ pugnæ cõtraferat. Sic sacri mystæ cum cernerent uarias hominum uoluntates, ita ut alij cõmissorum mole grauati animũ deijciant, atque despondeant, ita ut à luto in quod semel plantam infixam posuerunt, se emersuros desperent. Hos igitur ut consolentur, libertate donant: atque adeo liberos esse proclamant, ut & si mille scelerum myriadibus sint obnoxij, semper ueniæ superesse regressum & saluti sentiant, ne extremum malum sibi inferre compellantur, modo tamẽ uelint, hoc est si enitantur, si etiam pœnitudine ducti ad deum supplices uota conuertant, & remissionẽ sibi dari flagitent, si ipsi sibi non desint, sed oculos in sui custodiam erigere non grauentur. Rursus cum sint alij rebus secundis insolenter usi (nec enim minus periculum ex prospera imminet fortuna quàm aduersa) qui adeo omnia sibi licere putent, ut omnes præ se elato & arroganti animo despiciant, nullosque non contemptui habeant. Hos itaque admonẽdos esse crediderunt, nè efferantur, nè tumeant, nè ue inani & turgido fastu superbiant, nihil esse quod glorientur, cum nihil sit quod nostra ope

ope fuerimus consecuti: sed omnia quæcunque nobis adesse bona gaudemus, diuina opitulatione & indulgentia possideamus, cui hunc pauperiorem Iro reddere, & inopia præmere, alium ad regnum & immodicass opes euehere collubitũ fuit. Nõ aliter ac figulus nunc ex eodem luto urceum, nunc amphoram componit, & modo peluim qua lutosi pedum calces collauentur, constituit, nunc poculum egregium, cui regum ora, & pulchra uirginum labella admoueantur.

LIBER QVARTVS PROBLEMATA CONTINENS, QVÆ AD RES MEDICAS FACIVNT.



Ropter quid cũ quinq; digitos in summa manu nobis natura produxerit, magnum quidem seu pollicẽ ab indice aliaq; digitorũ mole & serie seiunxit, eum uero qui medius est, uertice suo aliorum utrinq; positorum superantem cacumina constituit? An ideo reliquis unum fore digitum contra positum oportuit, ut melior magisque fidelis fieret apprehensio, quæ est propria manus operatio. Omne namque quod cohercere, & constringere circum est opus: id ut circulo comprehendatur, requiritur, ut si struem lignorum colligare ad inuicem uincireque uelis, per mediũ circũducto fune utrinque ita ut illuc exeat, unde fuerit progressum, cõmode religaueris. Quia uero si in una esset ueluti atie digitorũ dispositia series, fieri non posset, ut rem circulo circũquaq; præhenderent, hinc ut omnibus numeris foret absoluta digitorum constructio, digitum unum ex aduerso collocauit, qui quoniã singularis multis cõtra renititur: hunc insigni præ cæteris magnitudine præditũ existere fuit operæpreciũ, quà quia pollet, prout decet, pollicẽ nostri: Graij & megã & antichira hoc est magnũ & promanũ absolute dixerunt. Digitũ uero medium, seu infamem, seu famosum, seu medicum (nam ijs omnibus nominibus nuncupare licet) ob id naturæ sapientia longiorẽ facit, ut quando flecteretur manus, ipse cum æqualibus utrinque positis (nã id erat melius) ad unum simul conueniret, quod manifesto euenire conspicitur: nam si manum plicaueris, adeo æqualiter desinunt, ut non iniuria eos in eadem linea positos esse suspiceris. Hinc & in triremibus: qui medio positus est loco: remum & productiorem & longiorem constituunt, ut cum tota remorum series aquas retro innixa diuidat: atque proscindat, ad eandem æqualitatem perueniẽs, remi

pollex mega antichira

mediq infamis medici

remigium utrinque æqua lance impellat, atque protrudat.

2 Propter quid uero in simia, is digitus quem alijs ex aduerso ferri oportuerat, & paruus quispiam: & simul cum alijs ita cõstitutus est, ut utilitates propter quas in alijs animantibus compositus est, corrumpat? An quia simia ridicula est homi nis emulatio. Voluit enim natura inter tot animantia, tanquam opere defessa, quò risus mortalibus excitaret, unum animal construere, quod omnes operationes hominis, & actiones dum niteretur effingere, in ridiculum prolaberetur. Nam & fistulã pulsare, & scribere, & saltu se ex humo tollere, & caput expurgare & singula deniq; hominum studia referre conatur, sed tamen ridicule omnia. Quoniam igitur risu tum maiore cõspergimur: atq; diffundimur, cum cernimus eos qui rem quãpiam emulari, & ad eius imitationem se comparare contendunt: si minutissima quæq; obseruantes, in principalibus ubi maior fuisset cura collocanda, decorem non seruant, sed longe tum deficiunt, atq; aberrant. nulliq; non ridiculus is pictor censeatur, qui cum singula alicuius imaginis membra studiose exornauerit, oculos facere prætermittat, aut partes faciei minus recte componat, quæ diligentius elaborãdę essent. Sic igitur natura ridiculo quoad mores & naturam animãti, risu item dignam corporis constructionem adhibuit, & cum per singula eius conformationem fuisset ex acte prosecuta, in mom ẽtaneis & principalibus defecit. Nam quæ quæso utillitas? quis usus? quæ tanta quattuor digitorum q̃tũuis recte ualentium cõmoda? si magnus digitus male sit affectus, nec aut commodam fuerit molem sortitus, aut non ex aduerso: sufficienti interstitio ab indice separetur. Eleganter ergo profecto Pindarus: simiam semper pueris pulchram uideri cecinit, significans nil aliud simiã, q̃ ludibrium: & ludicrũ iocosum, quo pueri oblectari ludentes consueuerunt.

3 Propter quid si manũ tẽdas: mox digiti q̃tũuis eos ad latera flectere nõ prædi gas, mox à se mutuo dissoluuntur, & discapedinantur, & quãto magis extenderis, tanto magis hoc patiãtur, si uero inflectas: mox adeo conniuent, & in unũ nuunt, & exacte coniũguntur digitorũ summitates, ut etsi nolimus, unũ & idem exacte pũctum circũstẽt. An quoniam (quia sic magis usui erat profuturum) ut mouentes chordæ, quæ ad articulos protensæ ceu funiculi quidam digitos agitant, & omnimodas motiones cient, ab eodem principio deriuantur, & ab uno quodam capite cõmuni: ceu trunco quodam aut stipite incipiunt, rectosq; angulos cum hoc principio faciẽtes, exinde diffundi, & diuidi, recteq; ferri in digitos nitũtur. Hinc necessario euenit, ut quãto magis à prĩcipio recedũt, tãto maiori interuallo à se disiũgũtur, quãdo uero id initiũ quod in medio carpi locum obtinet, oẽs simul & singulos sigillatim pertrahit, atq; cõuellit, ad se ipsũ nuere & inclinari digitorũ uertices cogit.

Cur cum

4 Cur cum natura paria semper organa dextris & sinistris partibus iustissima dispensatione diuiserit, ut in manibus, pedibus, oculis, auribus, conspicuum est, pulmo tamen in sinistris binas pinnulas in homine habeat, in dextris autem ternas, & in omnibus animalibus: quibus plures pinnulæ insunt: (quas lobos uocant) pulmonis dextra pars unica pinnula à sinistra abundat? An hæ quidem pinnulæ lobiue qui ad inspirandum deseruiunt, in utraq; parte totidem sunt, & numero æquales. Quibus uero quintus lobus additur, ad refirmationem solum uenæ cauæ ad iugulum ascẽdentis substernitur, ne assiduo pulmonis & cordis motu, quæ quidem exta nunquã cieri desinunt, concutiatur. Vnde spongiosus hic ad receptionem aeris non est, quia ad inspirationis usum ut reliqui lobi: non fuit institutus: sed molliter inclinatus & cõcauus est, ut firmũ & stabile substramentũ inscẽdenti uenæ cauæ sufficiat.

5 Cur qui crura intus reflexa & contorta habent, (quos uatias appellamus) qui scilicet intro pedum uestigia condunt: diutius in pedes stare possunt, nec fatigantur? An quod maior pedis portio oneri desuper ferendo supponatur: quo fit ut onus impositũ minori negotio ferant. Quòd si statores & sellularij esse, nec unquam progredi loco haberemus, multis numeris melius cum illis res ageretur: qui intro plantas reflectunt: quàm qui directas porrigunt. Nã in ijs subiecta ferme tantum pars corpus leuat: reliqua inceßui progreßionique prodest.

6 Cur autem qui plantas & pedum uestigia extra conuertunt, geniculari melius & sine labore possunt? An quòd genuum articulationes extra tendunt, & flectũtur: ut minus distorqueri mẽbra cruraue sit opus: spõte sua iã articulis cõuersis.

7 Cur qui recta nimiũ crura gerunt: ij uatiæ ut plurimum efficiuntur? An quia suppositi corporis pondus tibiæ ferre non sustinentes, tandem curuantur, & geniculantur: non secus, quàm contingat illis, qui oblongo corpore profecerunt: quos eleganti corporis specie iuuenescere, ad senectutem autem deterius se habere Hippo. narrat, eo quod incurui gibbiq; obliqui senes euadant: spina ob imbecillitatem flexa, nec ferre amplius ualente prægrandis corporis artus, quod non adeo ijs euenit, qui omnium dimensionum æqua magnitudine pollent, aut corporis profunditate in altũ proportione inaucti, magis præstant.

8 Cur soluentium medicinarum sunt certi præfinitiq; gradus, alterantium autem non sunt doses limitatæ? An quia prout res exigit, aliquando multum, interdum minus alterare uolumus: medicaminum autem quæ soluendo sunt, est usus periculosus, & maxime in acutis febribus, quia affatim omnia calent, & uenenosa qualitate nõ uacant, ut si modus à maioribus præfinitus excedatur, periculum sit ne uenenum pro præsidio offeratur & propinetur.

Cur

9 Cur utero gerētē ab aliqua ægritudinū acutarū capi lætale est? Quia si alimoniā exhibeas, somēta porrigis morbo, si neges: ob inopiā alimenti moritur conceptus.

10 Propter quid cum sæuum caniculæ sidus exoritur: aluum purgatorio medicamento ciere est dānosum? An quia pharmaco nata uis est, ad imum uentrem trahere humores atque conuellere, at aeris feruor ad cutem extimam ducit: quare medicamini trahenti renititur: atque repugnat. An quia tunc corpora mortalium exæstuant: & nimio calore ardent, ut pharmaci acrimoniam sustinere nō possint. An potius quia dissolutum & imbecillum redditum corpus existens, ab ambientis calida constitutione, non est par: ut uim atque uiolentiam medicamenti quam naturæ infert, sine magna noxa transmittat.

11 Cur omnis euacuatio primaria ratione uiribus officit? An quoniā simul multum de uiuifico spiritu effunditur: & exhauritur, quo tamen anima ad omnia munia & functiones utitur: tanquam proprio organo atque instrumento.

12 Propter quid filij medicorum si tempus in quo uenam tūdere cupiā ex re fuisset, præterijt, tanq̃ occasione abeunte sanguinis minuendi, præsidium ut plurimum omittere consueuerunt? aut etiam propter quid primis diebus cum ægrū inuisunt, si febris ardens infestet, & sanguinis copia, aut etiam multorum succorum crudorum, natura pergrauetur, sanguinem eis mittere solēne est, tardius uero conuocati minime? An quia spatio dierum uires exoluuntur, adeo ut non sufficiant sanguinis missioni tolerandæ, quæ uires, ex omni euacuationis communi ratione, prosternere atque deijcere est nata. Nō sunt uero illi audiendi qui dicunt aut dierum numerū aliquid facere, cum dies nil efficere per se posśint, nisi uirium exolutio intercedat. aut qui id auxilium in proceśsu minime conuenire asserunt, quoniā sanguis qui præ alijs humoribus in uenæ sectione extrahitur: tempore in bilem utramque flauam scilicet & atram fuerit conuersus, ut sit melius hominem purgatione per pharmacum liberare, quam sanguinem mittere expediat.

13 Cur ad magnos dolores inflammationes in membris dolentibus consequantur? Quia natura quæ nostrum curam gerit, ad locū patientem sanguinem & spiritus destinare consueuit, quo aduersus dolorem opem ferat, & auxilietur, & depellat quod nocet, contingit autem ex accidenti, ut multus sanguis confluens, inflammatione particulam distendat.

14 Cur medici manum mittentes in carpum, nonnunquam utrinque digitis comprimunt arteriam, interdū autem leuiter tangunt? An quoniam pingues & obesi, arteriarum ictus profundos & subeuntes habent, quos ut assequantur tactum fugiētes, premere abūde satius est. Imbecilli autem & minime carnosi: obscurius & debilius

bilius pulsant, & percutiũt. Hos autẽ blãde contangũt, quoniam periculum esset: ne ij quibus salutis spes reliqua est, ut desperati pulsuq; carẽtes reputentur: quod nonnullis medicorũ frequẽtariũ est, nec enim obiecta carniũ moles intercipitur, sed pulsus importuna illa oppressione cieri prohibetur.

15 *Cur si frangatur, aut scindatur aliquod os capitis, extrahere illud conueniens est? An quia relictum: pus aliquod & paruum quempiã humorẽ creauerit, qui cerebri inflãmationem augeat. Multi autẽ machinãtur ut foramen secũdũ tẽpora faciant, quà sanies delabendi locum habeat, absq; hoc ꝙ cõfractum os eximatur, sed id tamen non ita per inde tutum est, tum quia illac nerui insignes exoriuntur, quorũ nullus secundum uerticem erũpit, tum ꝙ craneum plærisq; in partibus durissimum adeo est, ut non ita facile perforari posset, quod si fieret, etiam num periclitaretur æger, nè illac particula aliqua cerebri diffluens elaberetur.*

16 *Cur aqua calens & humens neruorum doloribus atq; puncturis, inimicissima est, cũ reliquarum inflammationum molestias emollire manifesto cõspiciatur. An quia frigore & siccitate cogẽte nerui cõcreuerunt, quibus omnibus ea quæ cum calore humorẽ adiũctum & sotiũ habent, aduersantur: & putrescere faciunt: eoq; soluãt & diffundant substantiã. Quam ob causam neruus ubi punctus est, nõ adeo spõgiam ex aqua calente impositam: sed tenuium partium medicamina adhibemus: quæ cum mediocri calefactione sine dolore discutiant & exsiccent.*

17 *Cur medicorum filij cum lapillis quibusdam paruulis qui in fluminibus reperiuntur, aut ferri orbiculis candentibus, in lactis humorem coniectis: omnem humiditatem exhauriant, rursus aquam infundant, aut enim modo frustra nunc inijtiunt, aut temere antea lactis humidum consumpserunt? An quia non adeo ut humorem depascant, quam ut acrimoniam quæ in sero est: qua aluus ad excretionem irritatur: retundant: ferri igniti impositione moliuntur. aquam uero inspergunt, nè in uentre concrescat, & casei ritu conspißetur, quod si fieret, pessima symptomata sequerentur.*

18 *Cur cum præcepta quædam opsonatricis coquinariæue artis medicus & coquus præceperint, in hoc tamen à se inuicem differre dicantur? An quia peculiarem intentionem, & proprium singuli scopum habent. Nam medici utilitatis ratione cõdimenta adhibent, quod enim suauius est facilius concoquitur, quam quod ingrato sapore constat. Vnde condire oportet alimenta, quæ accepturus sit æger. coquus autem solam uoluptatem spectat atque eas conditura ministrat, quo gustui satis faciat, ex quibus cruditas, & incoctio magis consequatur.*

19 *Cur fœminis frigidam ex niue aquã bibẽtibus, mẽstruæ purgatiões retinẽtur?*

An quoniam frigidum obsepit & obstruit meatus, quà desputiones eunt, quibus nè in morbum lateralem incidant, aut anginam, aut pulmonis inflammationem, aut nè sanguinem expuant, cruore per debitas periodos non excreto, præsentaneo præsidio uenam tundentes, succurrere medici consueuerunt.

20 Cur si in febre non intermittente, rigor frequens & iteratus sæpius ægrotātem occupet, omnino è uiuis migraturus sit æger. An quia si sudor cōsequatur, ratione euacuationis periturus sit, quam uirtus imbecilla existens tollerare non potest, quin ipsa etiam resoluta digeratur. Sin autē sine sudore rigor infestet: quia deiecta & prostrata facultas est, quæ nos gubernat, ut à se excutere non possit: quod nocuum est.

21 Cur febres pestilentes non sunt nimis æstuosæ? An quia non adeo manifesta qualitate lædunt, quantum maligna proprietate nocendi, quæ totam substantiam cōsequitur. An quia mox calorem natiuum subuertunt, qui si fuerit paucus, qui est præter naturam multus esse non potest, ut potè ab illo originem trahens. Vnde febres senibus non similiter acutæ ac iuuenibus accidere queunt, propter temperaturæ rigorem.

22 Cur glandia quæ adénes dicuntur, & pulmones, & lien, & cerebrum prompte totius corporis in se excrementa suscipiūt. An quia hæc uitalia tā molli & laxo, minimeq; compacto substantiæ textu cōstāt, ut omniū mēbrorū sentinam & saburram suscipiant. Nā in corpore perinde ac in ludo quopiam à fortioribus, & maiore ui pollentibus: tādiu superflua quæ mēbrū grauāt (ceu pilæ quidā iactus) trudūtur: donec ad imbecilliā quæ repellere non possunt, procumbant. An uero quia ij artus tres facultates natiuas potissimū imbecillas obtinent, attractricem scilicet, retentricem, & expultricē, (quas uocāt) q̄uis eam quæ nutrimentū alterat, nō multo imbecilliorē habeāt. cerebrum autē et si ad suscipiendū nō minime prōptū: maximam tamē opē sentit, magnis quibusdā substructis poris atq; meatibus deorsum, quo naturalis humorū cursus est, per quos excrementa confluunt & delabuntur.

23 Cur tensio aliquibus in partibus nonnunq̄ molestat, nullusq; tumor apparet? An quoniā in particulis uisui nō subiectis latitās aliqua conspectum subest moles. An quoniā nō in ipsa uasorū cauitate, sed in tunica plenitudo recepta est.

24 Cur cum in omni plenitudine tensio & grauitas comitari soleant, ubi bilis super excreuit, horum neutrum adsit. An quoniam prius alijs symptomatis corripiuntur, quam ij superueniant casus.

25 Cur eos quibus in pulmone hulcus insedit, insanabiles aliqua ope arbitrantur? An quoniam id uiscus in præpete & iugi semper motu uersatur, assultans usque

usque: & cordi flabella comparans. An uero id nihil obstat, cum possit tum thoracis tum pulmonis latio: anhelitu contento prohiberi. sed quoniam sanari hulcus non expurgato pure quod acrementi, & corrodendi uim habet, haud licet, pulmones autem non nisi tussibus expurgari possunt: quæ tum diuortium faciunt, tum partes irritando diuellunt, unde & inflammationem augeri, & continuitatem dispesci: & iterato redire malum necessarium est. Si quibus autẽ in pulmone diruptum uasculum aliquod uiolentius fuit, antea ꝙ inflammationem, cui nulla manus medica succurrere possit, cõtrahant, unicum præsidium est: si in loco obscuro habeantur, & tusses (quoad poßint) compescãt nè quod aiunt exulcerent morbum.

26 Cur dolentibus partibus phlegmone generatur? An quia singulis particulis inest nocentium expultrix facultas, quæ doloris causam protrudere gestiens, sanguinem & humores ex supra positis partibus accersit, & concutit, qui in parte ueluti cuneo collecti, in molem particulam attollunt. Nõ autẽ id adeo in causa est, ut nonnulli dicerent q, sanguis & spiritus dolenti membro suppetias afferant.

27 Cur lippitudinem patientibus somnus accommodus est? An quia tunc nec oculus ipse mouetur, nec humores qui fluxui sunt parati, & dolor minus persentitur, qui defluxiones ciere solet.

28 Cur multi orco iam candidati, & mortui, obijßeque iam putati, in uitam re diuiui relati rursus redijsse traduntur? An quòd animæ aliqua scintilla & particula uitæ exigua reperiri in ijs potuerit, quæ obseruantes medicantesque latuißet. An quòd multi præ deliquio animi qui calore dißoluto & fermè extincto pericli tatum iri pergebant, irrigato calido: rursus animam exhalantem suscipiant: ut quàm plures uidemus: qui adeo & frequenter dissoluuntur, rore aut frigida consperso s, tenui quodam uapore per faciem genasque ex imo erumpente, ita refectos: ut parum à uita restitutis differant, quibus Asclepius Pæonias suas adhibuit manus. An quòd nonnunquam anima intus intenta, ut causas quæ egritudinem committunt, concoquat, & propulset, minus externis membris & particulis adeße possit, ut functiones suas obeant, qua tamen ex alto reducta, mox ut prodire & erumpere ualuit, fit: ut plures qui diem obijsse iam credebantur: à profundis manibus: & auerni portis, ubi inferni sedes seorsum à diuis: (ut inquit Euripides) habitatur: ad uitam reuocati existimentur, quod quia senio confectis magis quã iuuentutis uellere gaudentibus: plurimum euenire consueuit, ideo medicorum filij senes qui attonito aut comitiali morbo perijße creduntur, post tres dies intumulatos insepul tosque haberi præcipiunt, quo tempore consentaneum est, animam si in medullis & imis ossibus hærebat, iam fuisse redituram, ut membrorũ munera procuraret.

 Cur

29 Cur ægris quibus ad animi deliquiũ medici ſanguinẽ detraxerũt, aluus ceu necessitate quadam cõpellata mox copioſa excernit? An quia in defectu lypothymiæ, ex toto corpore humores uicatim & cẽturiatim confluunt ad cor, ut uiſceri principali ſuppetias afferant, in quo facultas incubat, quæ uitam membris ſuppeditat, cõſequitur autẽ: ut in uijs ductuũ humores poſiti: & alij etiã à calore colliquati deijciantur per imam aluũ (quod etiã in tremẽtibus accidit,) nec multũ diſſimili ratiõe qui ad ignẽ proxime ut caleſcerẽt, acceſſerunt, lotij mittendi uolũtate tenentur, quia calor hũores eliquat, unde quæcũq; medicamẽta quæ uel elitiẽdi ſudoris uel promouẽdi urinas, uel obſtructiones remouẽdi, facultatẽ habent: ui calefactoria pollent.

30 Cur quibuſdam nè fluat, retineri aluus conſueuit? An nonnunquam id fit propter ambientis aeris frigidam temperiem, quæ cogat & aſtringat ſedis muſculos, ut nihil fluere ſinant, cuius contrarium calentioris aquæ balnea efficere ſunt nata, propterea quòd laxent, & mulceant muſculos illos, quibus diffuſis excretiones prodire mox aſſolent. An propter expultricis facultatis imbecillitatem, & retentricis robur, quam ſiccitates & cibi quicunque aſtringendi ui ſunt præditi, multum adeo iuuant, & ualentiorem reddunt. An quia nonnulli epulas ingerũt: quibus nulla acritudo nec mordicatio eſt. An etiam propter inteſtinorum difficilem ſenſum, quæ niſi excrementa quæ illac iter habent: ualide pungant, nunquam oneris grauitatem perſentiunt, facit ad hoc etiam num uis epatis fortior: & uenarum: quæ inter uentriculum & iocinus interiacent: exſugens à uentre: & rapiens alimentum, priuſquam quicquam ad imum deſcendat, unde qui minori potu utuntur, magis mingere quàm excernere ſolent, quia depaſcatur interim iecur ciborum humorem, quod ſi quis bibat copioſius, affatim excrementa ſuccedunt, humentiori reddita aluo ad excretiones imas.

31 Cur ſi quis bis poſt noctis medium minxit: primus mictus concoctior ſecundus crudior eſt? An quia alter perfecta mox & abſoluta concoctione redditur: alter longum poſt, qui nõ adeo cõcoquitur: in ijs autem urinis quæ intẽpeſta nocte mittuntur: ſecũda omnino cõcoctior magis eſt quæ cõcoctioni eſt proprior. Atq; hoc pacto medici dignotiões urinarũ facere ſolẽt, quas binas eger oſtendit.

32 Cur ſudores tertiani aut quintani decretorij ſũt morbiſq; ut plurimũ cõtingat, raro autem quarta dies ſudoribus iudicetur? An quia ægritudines quæ ſudoribus finiuntur, per acutæ efferueſcenteſque nimium ſunt quæ ut plurimum per tertiam diem, & diebus imparibus exacerbari: acceſſioneſque capere conſueuerunt. Si qui uero morbi tardiores ſunt, per pares magis infeſtant, quòd ſi peracutus morbus ſegnior quandoque efficiatur: exacerbationes quæ à principio in imparibus urgebant,

bant ad pares permutantur.

33 Cur dulcis pituita somniculosos facit? An quoniam calens & humens omniũ quæ dulcescũt ratione, & molles multosque halitus ad caput excitat. Somnia autem humectato principio proueniunt: quod in cerebro thronũ habet. Hinc uina & balneæ dulcium aquarum: propterea quòd caput implent: & infartiunt, somnos prolectare consueuerunt.

34 Cur autem acidæ pituitates famelicos reddunt? An quoniam coarctant atque corrugant uentriculi osculum: quo facto fames insequi consueuit, quo argumento atram bilem natura disposuit & cõparauit, ut suo acore & frigore uentriculum irritaret & moleste afficeret, & inopiæ sensum animalibus inferret, ut per alimentum præsidium petatur, salsa autem pituita ut pote omnem exhauriens à uentriculo humorem: siticulosos non iniuria facit. ut cruda, fastidia & longas inedias: & diuturnas famis patientias operatur.

35 Cur animal quodcunque lac habens in utero accipere potest, quod autem non concipit, lacte omnino caret? An quia hoc ad partus alitionem à natura ordinatum est: qui si nullus sit, lac prorsus superuacuum est. An quia ex eisdem muliebribus sanguinibus, & lactis, & fœtus generatio est. Nam quod in fœminarum profluuijs optimum & tenuissimum habetur, in substantiam conceptus transit. pars altera in lactis humorem concedit, quod reliquum est in enixu ex fœmineis locis (lochian uocant) deijcitur. Vnde si lac in mãmillis adsit, menstruæ sane purgationes mulieribus defecerunt, & si rursus hæ non eunt, aut concepisse in utero, aut lac habere mulier significatur. si uero non retinentur: nihil horum est. An uero quia quæ oua edunt: minus superfluica sunt, quam quæ animal parere consueuerunt. Vnde nec uteros gestare solent, nec lactis alimoniam in papillis paratam habent, quam nuper genitis natis offerant, sed satis habent, si inuolucres pullos quos à putamine corticis excluserint, alarum tepiditate fotos defendant, & nugas sane illi agunt, qui lac gallinaceum inueniri arbitrantur: Non magis enim hoc inueniri potest, quam cornu à ceruis absconditum, ut in prouerbio est.

36 Cur lingua modo tangendi uim interdum gustatum deperdit? An quia non eisdem ab eadem iugatione cerebri uenientibus neruis utrunque agit, sæpius autem gustum amittit, quia exquisito magis, & tenuiori organo eget. Nam subtilissimum omniũ est uisus sensorium, proximum auditus: crassißimi & telluri proportionales cæteri, quos cum belluis communes maxime habemus, mediũ inter utrosque odoratus locum sortitus est.

37 Cur arteria ad uenam sescupla magnitudine est, ut inquit Herophilus?

An quoniam illa ſpiritus & ſanguinis tenuiſſimi conceptaculum eſt, quem bene ſarcto, & tecto loco occludi & coherceri conſentaneum erat, ne cito euolaret. uena autem cruoris tanto craſſioris conceptaculum eſt.

38 Cur cæteris animalibus mammillas ad imas partes, & ſub uentrem, homini autem in pectoris oſſe (quod ſternum uocant) naturæ induſtria collocauit? An quoniam lac utilis alimenti quo aluntur membra ſuperfluitas eſt. In cæteris autem excrementa ſurſum in cornua, in dentes, & alias id genus particulas conuertuntur, quibus deorſum ubera naturæ ingenium traduxit: merito, quia ſurſum alimenti copia deeſt. Homini autem conuenientiſſimus eſt pectoris locus, quoniam eo in loco propter cordis & thoracis perpetuum motum lactis humor ſufficienter conficitur: atque decoquitur propter calorem, qui ijs in partibus non modicus eſt. papillæ uero rurſus ueluti uicem rependentes cor ipſum reuerberando calorem tuentur: ut ueſtes corpori applicatæ. in cæteris autem quæ prona in terram incedunt, nihil tale opus eſt: ſpina ad iniurias expoſita. Quibus igitur in pectore ſunt: ijs mãmillæ in utroque ſexu adſunt: equis autem etiam maribus: quamuis ſubtus poſitas gerant: non deſunt, qui ad matres: ſimilitudinem obſeruant, ut ab Ariſtotele proditum eſt.

39 Cur nonnulli ita delirio tenentur, ut uidere & audire interdum ſe credant, quæ nec fantur, nec loquuntur aliqui, & agi exiſtimant, quæ non aguntur, cum animam ipſam rationalem ne quicquam pati conueniat? An quoniam animi mores corporis temperamenta ſequi conſueuerunt, ut ex cibis, ætatibus, & regionibus facile dignoſcitur. Nam qui ceu frigore & grandine mentem conſtrictam habent: uino curas diſcutiunt: & bugloſſo in pateras iniecto animum ſoluunt atque diffundunt. Ad hæc qui tenuiorem ſanguinem in uenis habent, ingenio magis pollent, quibus uero craſſus in corpore ſanguis eſt, hebetes ij & tardi fermè eſſe ſolẽt. Qualis aſino, & ſtolidis cæteris animãtibus eſt, homini uero maxime ſubtilis, & præcipue ad eas partes quibus ſapimus: per uenas tenuiſſimas defertur, illic etiam concoquendus: unde & prudentiſſimum animal eſt. Ad hæc hilares, læti, ioculares iuuenes, triſtes, mœſti, & ſolliciti & nunquam non capite obſtipo ſecum cogitantes propter ætatis frigora ſenes. Cæli quoque regiones, & loca, & aeris conſtitutiones, & ſuperni influxus maximam uim habere ad immutandos animorum mores dignoſcuntur. Quippe non ſolum in uarijs terrarum partibus, & diuerſo locorum ſitu homines fortes, & audentes, & ſubdoli, & uafri, & aſtuti, & imbelles, & molles, & atri, & candidi, & glauci, & proceri enaſcuntur, ſed etiam & prudentes, & acuti, & animo, & ratione magis ualentes, ut qui quinti climatis parallelum zonamue inhabitant, non ſolum corporibus, cæteris qui extremos

mundi

mundi cardines: aut medios colunt, sed & lingua, & moribus, & ingenijs, animorũ qꝫ uirtutibus multũ adeo præstant. Nam quid aliud sit in causa: qꝫ hic doctos: illic imperitos tellus producat, qꝫ quod tales fermè singuli euadant, qualem aerem spirãt, & quali sub sole degunt? Hæc igitur animam temperamenta sequi penè ostendunt. Cicuta item, & mãdragora, & papaueris lachrima, si bibantur: animales omnes actiones torpidas & emortuas reddũt: & quæcunque sõnifera uocantur. Vt enim cum attonito & comitiali morbo oppressi iacẽt, aut Caro, aut Comate, aut Cataphora: in profundum somnum delabuntur, aut cum: deprehẽsionibus, & Catochis, stupidi inconniuentibus oculis manent, impediri & quiescere uis; quæ ratiocinatur, dici quoquo pacto non absurdè omnino possit, cum tamen delirant, cum furibundi è lecto exiliunt, cum gallorum more brachia quatiunt, & attollunt, cum domo eos qui non adsunt: sibi expelli postulant, cum flocos & pilos à uestibus decerpunt, cum quæ non sunt cernere, aut auditu percipere se opinantur, non adeo impeditam sed affectam animam: maximum inditium est. Vt enim cum similia suffusorũ symptomatibus: propter ascendentes sursum à uentriculo uapores: ante oculos simulacra uidere: se nonnulli existimant, nihil uis ipsa uisiua perpessa dicatur. Cum tamen dupla aut tripla intuentur, potentiã ipsam quæ perspicit, læsam & paßam esse omnino dicere oportet. An uero immortalem existentem animam, & ante corpora præeuntem, corporum affectionibus, chamæleontis more aut polypodis qui telluris quoscunque colores imitatur, pari modo affici nequaquam dignum est. Sed cum non sine organo corporeo mẽs agat, sed ad omnia munera spiritibus, & sanguine, aut calore qui in ijs est: utatur, inde non frustra contingit, ut si spiritus immodicè agitentur, uel cerebri uentriculi, in quibus facultas quæ sapit, sedet: alterentur, illa impatili existente: affici tamen uideatur: quia ut cum instrumentis læsis & laceßitis aliquod opus probè perficiat, fieri non potest. Sic faber si dolabram retusam habet, non solum non rectè lignum secat, sed malè secat, nec id artis uitiũ est, sed instrumẽti, nec culpam præstare tenetur artifex, sed malè acutũ ferrum. Ad eum modũ cælum uarijs coloribus infectũ uidetur: quia nubes interposita uariegata est, & omnia per uitrum inspecta, tali colore infecta apparent, quali fuerit uitrum perfusum. uisus tamen integer manet, & perfectus nec quicquam paßus est, quamuis obex interpositus iudicium rectum impediat, & rem alieno colore affectam ab hoc tamen uideri faciat. Ita & licet interdum amußis delirare, nec mens satis sibi constare uideatur, non tamen ipsius animæ error est, sed simulacrorum, & motus inordinati in spiritibus, qui sunt illi unicum ad omnes functiones instrumentum. Intelligentem nãque uisa quædã & spectra (quæ phantasmata appellant) cõtẽplari oportet.

 Non

Non itaque anima est aut affectio corporis: aut quicquam deniq; quod illi accidẽtis modo inhæreat, & consequatur, etsi hoc bene aut peius disposito, recte aut setius suum officium agat, & expediat. Nã etiam ꝙ impartilis anima sit, inde manifeste patet, ꝙ doctrina cum docetur, non euadat minor in habente. Potẽtiæ autem materiales cum se tradunt, & alijs sui copiam impertiunt, ipsæ se minuunt, ut si liquorem in uas aliud diffundas, minus in priori uase remanebit.

40 Cur fato posito animorum uitia, & uirtutes, & laudes, & uituperationes, non pereunt? An quoniam anima dominum non agnoscit, nec fati legibus scitis ue obnoxia est, nec uero de singulis decernere & prospicere potest fatũ: quæ sint infinita, & numero careant: quæ uni accidere possunt. Sed semper sub conditione & pacto fatale decretũ proponitur, ut si hoc fiet, & illud erit, & si Paris Helenam rapuerit: bellabunt Achiui ad Troiam. quæ antecedunt, arbitrij sunt & libertatis, sequentia fato debentur. Rapuit itaque nõ impulsus: sed quia comptus, quia formosus, quia opulentus, quia lasciuus, quia nauigauit, quia denique ad libidinẽ & Venerẽ sufficienter promptus. fato autem bellum Troianis illatũ est. Sic & Laio dixit Pythius: Si filium genueris, natus te mactabit impie. Potuit ille quidẽ non genuisse, sed non potuit non parentem occidisse, qui nasceretur. Primum possibile erat quod (ut Platonici diffiniunt) inter uerum & falsum medium est, & uel in fortuna uel in uoluntate positum, ne liberos tolleret. Postremũ fati est necessitate decretum (quod Græci eimarmenen quod omnibus proconuenienti competentiq; portione distribuat uocarunt) nec fatum prius: sed prouidentia posterius est, atque ab ea procedit & generatur.

LIBER QVINTVS EA CONTINET QVAE AD INGENVAS DISCIPLINAS FACIVNT,

Cuius sunt Sectiones tres.

Sectio prima de ijs quæ ad astronomiam.



Vr filij eorum qui in mathematum disciplinis uersantur: cælum esse sphæromatis modo: in orbem circulumq; globatum tradiderunt? An quia eam figuram potissimam uidere uisi sunt, quã cælo præstantissimo corpori dicarent. Vel quoniam sibi ipsi semper similima est, finemque cum principio rursus connectit, ad eumque locum unde processerat, iterato reuertitur, cum quæ in rectum feruntur, à se inuicem

magis dissentiãt, atque discedant, quo partes indies procedunt. Vel quia cum tellurem undique complectatur: æquè propter æquam distantiam partium, uim maximam habeat, & potentissima sit, ut calor & lux cælestis, ab æthereis corporibus dilapsa, in gremium terræ almæ omnium rerum parentis, ad res mortales fouendas diffundantur. Coit namq; uirtus ad medium: unitiuũq; est partium centrum. Vel quia ad perēnitatem magis erat apta, atque ut non diuelleretur, corruptionemque non subiret, cum nullos habeat angulos, quibus mordicus contrectatis figura diffflueret. Quã ob rem præcipuas animaliũ solidasque particulas, ipsaque rerum semina, tali constare figura natura uoluit, quæ nihil non sapientissime operatur. An quia simplicissimo corpori, figuram unica dumtaxat superficie præditam, qualis est, quæ in orbem curuatur, ascribendam esse crediderunt: cum conus duas superficies, cylindrus tres, pyramis & reliqua schæmata plures habere dignoscãtur. An quia si rotunda esse daretur cæli figura, hac una ratione dumtaxat inane euitari posse, quo nihil hostilius rerum natura ab horret, cernebant: cũ in relictam stationem mox aliæ eiusdem orbis partes substituantur, atque succedant. An quia uel tempus, quod cælo lato cõficitur, uel ipsamet cælestium orbium latio, futura erat omnium lationum mensura: quam esse breuissimam in uno quoque genere operæprecium est. Latione autem quæ per circulum agitur, nihil nec ocyus nec paruius reperire est, quæ minimo (ut apud Platonē inquit Elæates hospes) incedit pede. An quia ex oĩbus figuris quæ æqualē ambitum comprehendunt, sola circularis & minimum locum occupat, & capacissima est. Vnde omnia alia corpora in sphæram inscribere licet, in nullum autē aliorum corpus possibile est. An quia cum tellus ipsa sit rotunda: (ut opticis rationibus demonstratur) & aqua tellurem circundans talem figuram obtineat, ut pote cuius partes tandiu ad centrum diffluant, quoad in curuaturam attollantur. qua ratione & latices ambiens aer, & aeri ignis suprauectus, sunt conuexa: par nimium erat: ut cælum quod elementa complectitur, sphæricum; detornaretur: ne si aliquis locus corpore non occupatus maneret, inane intus relinqueretur. An quia ita synopticæ rationes postulant: tum quod & exoriens sol, & per diem medium prouectus, umbras ad medium eiaculatur, tum quod etsi nulla obstent in cælo nubium impedimenta, pari semper in quauis cæli parte spectandus magnitudine apparet, quæ fieri utique nõ possent, nisi esset cælum sphærico schæmatismo ornatum. consentaneum enim rationi esset, ut quà magis proximus accederet, maior conspectibus præsentaretur. An quia figuram tam mirabilem: qualis est circulus: qui simul contrarias lationes in ante & retrorsum mouetur, & ex moto & immobili, curuoq; pariter & cauo cõstat, (cuius etiam num quæ circulum conficit linea duas lationes: ut inquit Aristo

teles

teles in nulla proportione fertur, tardiusq; & ocyus cietur, prout magis uel minus ad centrũ accedit) cælesti corpori adaptare prisci uoluerũt, quo nihil aliud magisq; æque facile admirati fuisse uidẽtur, ut pote qui moles: quas in cælo indeffessa raptari uertigine uidebãt, in deos retulerint, cõscripserintq;, atq; inde theoùs apòtõu théein, id est deos à currẽdo appellauerũt. Scholiũ. Quod circulus duabus lationibus in nulproportione feratur sic persuaderi potest. Supposito primo quod dimetiens duas motiones cietur, dum circulum describit, quæ mensurantur duabus lineis rectis quæ cõtinẽtur à portione arcus à diametro descripti. Vt si in circulo, a, b, c, diameter feratur ad, b, motio eius cognoscitur per lineam, a, d, &, d, e, quarum secunda motioni naturali correspondere dicitur, altera scilicet, a, d, nõ naturali. ita autem semper cõtingit, q; si æquales arcus ex circulis inæqualibus sumantur, in maiori circulo magis de motu naturali correspondet, minus de non natiuo, in minori contra, ut in diagrãmate patet. Quo fit ut quò ea quæ à centro fertur: sit maior: uelocius in eodem tempore moueatur, quòd si secundum laterum proportionẽ ferretur, sequeretur q; in triãgulo duo latera, reliquo nõ lõgiora sed æqualia essent, ut facillime deduci potest.

2 Cur qui sublimia sapiunt: exeũtes à centro globos & orbiculos quosdam totos foras receptos, (quos eccentros & epicyclos uocant) tollunt? An quia ijs positis: principalia theoremata pereunt. Cum omnis motus per naturam corporis consistentis: aut circa medium totius fiat, aut à centro sit, aut ad centrum, quorum nullum est: si æthcrei globi supra exorbitantes polos axesue ferantur. Epicyclorum autem positio: cælestium corporum continuitatem distrahit, & ex dissimilibus motionibus unam lationem cõnectit. Probè tamẽ dicũtur ista: nec temerarius eorum quibus hæc cõmentandi fuit labor conatus est, ad ostendendum quo pacto in simplos uarij impulsus reducantur. Quod perinde est, ac si quis lineæ cylindrum undiq; circumobeuntis & cõgirantis magnitudinem & certos motus deprehendere non potens, rectam lineam assumens, & punctum in ea signãs, quæ circum oberret, atque huius lationẽ pernotãs, illius dimensiones inuenisse se arbitratus est. Quæ ita accipere oportet, non ut tanq; ita se rem habere credamus, nec enim parabola, aut curua illa cylindri linea, super illam notam mouetur. Nec super exorbitãtibus centris sidera uoluũtur: cum maxime si illa ponere placeat, eorum orbium centra tantum à telluris & centro totius uniuersali recedant, ut pilæ solstitialis (quod uicinissimum est) centrũ inter Lunæ & Mercurij conuexa cadat. Sed horũ ductu & cõspectu manualiq; instructione, de cælestium motuum simplicitate coniectare oportet.

3 Cur Sol qui multis numeris minus incitatior est, Lunam quæ uelocitate præstat, aliquando cõprehendit? An non cõprehendit, sed cũ cõprehendatur, tale uisui

ostentum

ostentum se offert: quasi comprehendat, cum à cœtu relictum Solem nondum menstruo absoluto spatio, in eodem signo Luna conueniat repetito, si in eiusdem signi principio conuenerunt, tunc enim Phœbus abeuntem & relinquentem se Lunam fuisse tandem consecutus apparet, qui tamen ipse fuerit comprehensus. Sic & cæteri planétes qui tardo sunt incessu, uelociores (ut est apud Timæum) comprehendere uidentur, cum sint ipsi tamen cõprehensi. Nam celeres illi pro rata & constanti semper uelocitate giros illos & meandros suos conficiẽtes, citatis curriculis cum longissime sese abduxerint, rursum ad tardiuagos ueluti ad comperendinum redeunt, iterumque relinqunt.

4 Cur Phænon & Phæton & Mars nonnunquam in eodem uestigio consistere interdum repedare uidentur, (quod cæteri errones non patiuntur)? An quia Sol & Luna & Stilbon, & Lucifer tã insigni uolatu meant, & orbitas suas peragunt, ut nihil uisum lateat, quem cursum confecerint. Illa autem ita testudineo gradu proreptant, ut nõnunquam stare, interdum retro referri credantur. Nam si spectator astrorum uisus: in telluris meditullio esset, nulla in aspiciendis siderum locis hallucinatio contingeret, nunc autem propter obtutus eminentiam: cum errones singuli suis quisque orbibus ferantur, accipit eos uisus, & collocat tanquam per signiferũ positos, cũque non multum quid à loco processerint, uisus ab alta tellure prospectans, nõ rectà sed per obliquum: in subsequẽte Zodiaci iam confecta regione demõstrat. urgent tamen illa perpetuo inceptum opus: & ante tendunt, cursu non mutato, nec unquam retro sublata referuntur.

5 Cur Phœbæ antea quam incipiat fieri noua, ante aurorã apparet, & serius quidẽ atque ad exortus solis magis: quanto ad copulationem accedit, ab interlunio autem sub uesperam occidente sole inspectatur? An quoniam cum cælestes omnes erronũ globi nitãtur aduersus primi motus raptationem: Luna celerius fertur, & amplius cõtratẽdit, & obstat. Quo fit ut cũ Sol ad obitũ perductus est, coitus tẽpore, Luna adhuc sub circulũ finalem maneat, seriusque & tardius indies occidat, quo scilicet amplius à sole abscesserit, donec toto orbe lucescat, quo iam tempore per totã noctẽ conspicua est. Cum uero iterum ad solem imo itinere reuertitur, per singulos dies dodrante & semuntia unius horæ, hoc est undeuiginti uicesimis quartis unius horæ serius exoritur, quia indies propter suum retrocessum exurgit tardius, donec iam cum ipso sole emergat, totumque diem supra horizontem agat, tota nocte latitãs: quousque sub noctis principium apparere incipiat, pares semper portiones addens ad oppositum interuallum diuentans.

6 Cur Veneris stella sub lucem quidem in occiduis, uespere autem in æois mundi & uni-

& uniuersæ rei partibus spectatur? An quia spectari astra non possunt, si Heliaco splendore tegantur, sed cum tot momentis distauerint, ut minime illustrioris sideris fulgore obnubilentur. Hesperus igitur sub uesperam à qua nomen sibi mutuatus est, ad ortus apparet, cum solstitiale sidus sub finalem circulum se condit, ante iubar aũt aurorã ue ad occasus emicat, cũ nõdum Phæbeæ lãpadis ignis emersit. & Luciferus tũc appellatur. Hoc aũt de ortu & occasu respectu solis intelligẽdũ est.

7 Cur planetes contrarijs motibus cientur: cum ab ortu tendunt ad occasus & ab occasu rapiuntur ad ortus cum opposita eidem simul eodem tempore adesse non poßint? An quia ut arbitratur Aristoteles alter illorum natiuus illis & peculiaris est, alter non naturalis. An uero cum in cælo nihil accidẽtarium ponere sit decens, ubi omnia primi dei qui machinam architectatus est uoluntate constiterunt, nec figura aut motus sit secundum accidens, utrosque motus illis secundum naturam esse, & genuinos dicere magis operæprecium est. Hic nãque si duo contraria in eodem subiecto nõ coeunt, propter materiæ necessitatem, id est quæ utraque simul protegere, & fouere, suoq; sinu suscipere quin pugnent, & desideant, non potest. Non quoniam alterum ab altero pellatur. Illic autem ubi omnia immateralia sunt, & ascititia illa siluæ & notha pulchritudine uacant, (quæ ipsa magis turpitudo est) opposita simul cõfluere nihil uetat. Orbibus itaq; æque primo, & per se ambo illi motus cõueniũt, quia nullus eorũ magis est proprius, in rebus autem corruptioni obnoxijs, alterũ contrariorũ maiorem cũ materia affinitatem, ut plurimum habere consueuit.

8 Cur tanta est noctium & dierum in æqualitate diuersitas? An quoniam tellus globosa est ratione cuius finitor horizonue sinuatur, & obliquus orbis efficitur, & parallelorum æquidistantiumue inæquales sectiones fiunt, ut interdum maior sub noctem portio, minor in diem recidat, aut cõtra & uertex magis aut minus attollitur, quæ utique si plana & æqualis undique esset, dies ubique cum noctibus exæquaret. Signorum autẽ obliquus ascensus, uel descensus, utrisque accidit, qui subiecto uel obliquo curuamine finitoris inhabitant.

9 Cur astra recto semper labuntur & incedunt meatu, & erronum more nõ nituntur in aduersum? An quia si aplanès nõ supra æquidialis & mundi polis, sed super Zodiaci, ut Hipparcus & Ptholomeus arbitrantur: contrarioq; motu ferrentur, fieri nunq; posset, quin qui iam tum pridem, inocciduiignes appellantur, subtus horizonta deprimerentur. Sed Arctos nescit occasum, & iam olim plusquam uiginti peregisset notas à temporibus Homeri à quo inoccidua appellatur: si per centum annos unam portionem relaberentur. Et rursus Canopi stella in Alexandria quidem modicam reuolutionem in mundi totius circũflexu: supra finalem ambitum

tum facit in Rhodo autem insula auctore Posidonio terminalem circulum ex ima parte uoluente cælo corradit, qui si quicquã tantum aduerso conatu profecisset: iam utique aliquando desijsset uideri. Vnde cum hæc nõ sint: magis quàm auctoribus: rationibus credendum est. Non igitur ignes cælestes testudinea illa latione discedũt. Planêtum uero duplex ille fuit necessarius motus mundo, ut generationes & interitus contingerent, & elementa genitali coitu miscerentur, ad generationem entium omnigenam, propter diuersitatem & multitudinem motuum à quibus hæc cuncta dependeant.

10 Cur telluris umbra conoidès est? An quoniam collustrante tellus minor est. Quando autem circũ fulgens corpus, loco qui illuminatur non est par, tũc umbram in calathi modum prodeuntem & explicantem sese perficit, ut cum æqualia sibi inuicem sunt luminosum & id à quo umbra diffunditur: undiq; teres umbra & sibi ipsi similis cylindrum refferẽs: porrigitur. Hinc igitur Homerus noctem thóen id est celerem dixit: non quia cito labatur meatu, sed quia eius umbra cõtinuo uersus finem in angustum punctum terminatur.

DE IIS QVAE AD ARITHMETICEN & musicen attinent. Sectio secũda libri quinti.



Vr septenarius numerus magnæ existimationis ab omnibus esse creditur? An quoniam eo numero dierum remissionem datam ab orbis cõditi labore opifici autumãt? Vnde hũc Pythagorici heptà quasi septà hoc est colendum & uenerãdum dictum arbitrãtur. An potius quoniam hic numerus oẽs in se symphonias: hoc est consonantias continet: in uno nãq; duobus, & quatuor, qui iuncti efficiunt septem: bis diapasõ armonia est, quæ cæteras cõsonãtiarum species sub se habet. An quoniã hic numerus ex duobus ternarijs & monade cõstat, quæ ueluti copula & nexus illis est. Nam inter numeros ij lõge dignitate antecellũt, quos uinculum aliquod cõnectit, quam qui dissoluti sunt, & nullo nodo (ut sunt omnes pares) colligantur. An quia hic inter numeros sub denario cõtẽtos, solus peculiare hoc habet, ut nec gignat ipse alium quẽq; inter decada, nec ab alio gignatur. Quã ob causam Mineruæ est hic numerus dicatus: quæ sine matris officio exorta è Iouis capite est, & perpetuo uirgo illibata permansit. An quia in hoc numero & quaternarius & ternarius habentur: quorum alter denarium conficit: ex quo omnia tam æterna & incorruptilia, q̃ corruptionem passim subeuntia Pythagorei cõponebãt. Secũdus uero & principium, & medium, & finem, uel longum, latum, & profundum habet. deq; eo: omnia uel cuncta: dici primum incipiunt, cum de duobus: ambo uel utraq; dicantur. An quia hoc numero naturæ

ipsius

ipsius actiones maxime procedere dignoscuntur. Septima die semen in utero delineationem accipit ad ideam membrorum. quo tempore delapsum si in frigidam deijciatur, subscriptionem manifestam representat. ante septimam inedia & esuritio lætalis non est. septimo mense dentes pueris oriuntur. septimo quibusque anno permutantur. secũda hebdomada uiris & fœmellis natiuus quidam ardor generandæ & habendæ prolis inseritur, tertia pubes enascitur, quarta magnitudinem integram assequuntur, quinta iam in uiros undique absolutos euadunt. Septimus quoque inter natos nulla fœminea prole mediante susceptus: chærádum strumarumue uim curatricem habere perhibetur.

2 *Cur ex æqualitate inæqualitas omnis profluere genitali quodam successu traditur? An quoniam tribus quibuscũq; numeris terminisue dispositis sibi ad inuicem æquis, si in secunda quadam serie primũ numerũ quendam æquũ priori accipias, deinde aliũ primo & secũdo parem adponas, tertio aliũ quendam primo & duobus secundis & tertio æqualem subnectas: multiplices duplas procreabis, ex quibus (si eundem canonem admoueas) triplas & ex his quadruplas & sic in cæteris conficias. q; si multiplices conuertas ex eisdem super particulares proportiones facies: si iã dicta methodo procedas, sed ex duplis quidem sesqui alteras: ex triplis sesquitertias generabis, rursusque ex ijs superpartientes progignes (si procreare tibi in animo datũ est) si terminos super particulariũ conuertas, & iam dictis rationibus utaris, & deniq; si à primo ad ultimum spectes: ab æqualitate omnem fuisse ortã & deriuasse inæqualitatis speciem, & proportionẽ tibi liquido apparebit. An quoniã ab æqualitate quoq; triplex potißima medietas prouenit. Nam tribus unitatibus naturali serie ordinatis: si in secundo uersu: primũ primo æqualem facias: secundũ primo & secundo, tertiũ primo secundo & tertio exæques arithmetica medietas prodit. si uero primæ monadi in secũdo ordine primũ æquum substituas, secũdum primo & secundo, tertium primo & duobus secundis & tertio parem reddas: geometricam analogiam produces. Sin autem primum secundæ classis duobus primis & secũdo, secũdũ duobus primis monadibus & duobus secũdis: tertiũ primo, duobus secũdis, & tribus tertijs æqualem ponas, armonicam medietatem comparabis.*

3 *Cur geometrica medietas inter omnes potior est? An quoniam in se reliquas potestate continet, nam quibuscũq; terminis datis, inter quos proportio aliqua geometrica est, si dimidiũ exceßus maioris minori adiunxeris, medietatem arithmeticam facies. Si uero id quo maior terminus superat: per minorem deductũ, perq; quod ex utroq; cõficitur distributũ, quod à distributione superest minorẽ supra cõnectas, armonicã analogiã habebis. Rursus si quatuor termini capiantur sic habẽtes, ut quod*

primus

primus ad ſecundum, id tertius ſit ad quartum, (quod ſimilitudinis rationum geometricæ peculiare eſt) ſi ſecundus inter primum & quartum arithmeticam proportionalitatem obſeruet, tertius omnino continebit armonicam, ſin uero inter eadem extrema alter armonice, alter arithmetice mediauerit, neceſſarium prorſus eſt, ut perinde ac primus ad ſecundum, ad eum modum tertius ſe habeat ad quartum. An quoniam rarior eſt, nam non inter quoſcunque terminos (quod alijs contingit) intercipitur: ſed ſolum inter eos: quorum uno in alterum ducto ſit aliquod latus, ſoli autem quadrati lateribus conſtant. An quoniam cum duplex ſit iuſtitia: altera quæ in cōmutatione rerum uerſatur, altera quæ ſingulis pro meritis diſtribuit, quarum ſecunda præſtantior longe eſt, ea quidem quæ in diſtributione munerum conſiſtit, & largitiones diſpenſat, hanc maxime ſimilitudinem rationum contemplatur.

4 Cur multiplex ſuperparticulares & ſuperpartientes proportiones dignitate antecellit? An quoniam numeri maxime proprietatem obſeruat, cui peculiare eſt: ut ſub finito minori termino in infinitum augendo procedat. quod multiplicibus accidit quarum dupla minima eſt, ſequens uero quælibet maior. An quoniam ab unitate ſimpliciſſima & īdiuidua progignitur, ut ſuper particularis à binario, à triade autem ſuperpartiēs. An quia toties certiſq; uicibus minorem terminum in ſe cōtinet, ut quaternio nihil aliud ꝙ bis duo eſt. Super particularis autē præter totum, eius etiam aliquam partem relinquit, in quo ſuperpartientem ſuperat, quæ à diuiſione non unam ſed plures minoris à toto adhuc habet. Porro ob id etiam ſuperparticulari multiplex excellentior eſt, ꝙ illa quantitatis continuæ naturam refert, in eo ꝙ minorem terminum in infinitum minuēdo procedit, hæc autem diſcretæ. Nā ſub ſeſquialtera, quæ maxima eſt, infinitæ minores reponuntur: Vtriſq; uero ſuperpartiēs ignobilior & inferior eſt: ꝙ differentia maioris termini utrumq; non permetitur: quod in multiplicibus & ſuper particularibus paſſim euenire cognoſcitur.

5 Cur cum inter binarium & quaternarium ternarius arithmetice ſit medius: idem binarium itidem & ſenarium armonice mediat? An quoniā uniuerſale theorema eſt à numericis demonſtratum, ꝙ ſi unius alicuius termini unus duplus: & alter triplus ſumatur, ꝙ duplæ quidem proportionis medius terminus arithmeticus, triplæ armonicus eſt: & ꝙ duplus maior, eiuſdem triplæ terminorum arithmetice proportionalis eſt, ut exemplis facilime conſtat.

6 Cur duo numeri quicūq; ab eodem multiplicati eandem interſe proportionem obſeruant, quam à principio habuerūt? An quoniam proportionabiliter creſcūt, ut qui per eūdem numerum multipliciter augeantur.

7 Cur poſt binas duplas binæ ſeſqui alteræ proportiones continuo ſe ſubſequentes

tes succedũt? An quia omnis numeris multiplex tot superparticulares praecedit quotus ipse est ab unitate eiusdẽ denominãtis. Sic à triplis sesquitertiae: & à caeteris multiplicibus sibi correspondentes superparticulares: medietatem, uel certam totius partẽ addẽdo producũtur: tot numero cõsequẽtes, quo multiplices ab unitate distant.

8 Cur sesquioctauã proportionem (quae tonus in musicis appellatur) in aequas partes: & integra semitonia partiri non est, sed in inaequales, quarũ quae minor est semitonio, limma, id est deffectio, quae uero maior apotome, id est abscisio dicitur? An quoniam superparticularem proportionem in aequalia dissecare non licet, nã si inter quãcũq; rationem sesquioctauam medius terminus quispiam reperiretur, etiã inter octonum & nouenum numeros, alius mediaret, cũ par utrobiq; sit ratio. An etiam quia sesquidecimaseptima: inter sesquioctauam rationem intermedians semitonio minor est, quia in numeris arithmeticã rationẽ obtinẽtibus: inter maiores terminos minor est proportio, atq; hac etiam rationum similitudo quae inter ducenos quadragenos & ternos, & ducenos quinquagenos illinc cum senis, (in quibus radicalibus lemmatis ratio cõsistit) sesquidecima septima, minor est: quia terdecim unitatũ excessus inferior est, q̃ sit decima post septimã inferioris termini portio. An etiam quia proportio inter ducenos quadragenos & ternos & alia ex parte ducenos septuagenos & ternos cum tribus octonis consistens, quae sesquioctauae rationem habet, ex proportionibus ducentorum quinquaginta & sex ad minorem & maiorem terminum componitur: quarum longe maior est superpartiẽs quae septemdecim partibus cum quarto & octauo superat, ea quae terdecim unitatibus excedit, atq; illa apotome uocatur, cuius terminos si octies multiplices, constitues duo millia & quadraginta & octo, & bis millia & centum octuaginta & septem in quibus: sine ulla unitatum in minuta caesarum sectione apotomes ratio obseruatur, quod maius semitonium est: quia ex ductu illarum trium octauarum cum reliquo numero integer numerus oboritur.

9 Cur diapasõ & diatessáron nullam musicam consonantiam facit, ut diapasõ & diapente? An quoniam haec triplam multiplicem reddunt. dupla autem adiũcta sesquitertia in suprapartientis concidit genus, quae nequaq̃ cantibus aptior est, qui in solis multiplicibus, & superparticularibus proportionibus constant.

10 Cur inter ducenos quadragenos & ternos, & ducenos quinquagenos cum senis, lemma uel semitonium minus reperitur? An quoniam ab hoc ad tercentum cum uicenis & quaternis, duo proportiones sesquioctauae continentur, qui numerus ad minorem illum terminũ epitritus sesquitertiusue est, à quo si duae sesquioctauae demantur: lemmatis rationem: in terminis manentibus relinqui certissimum est.

Cur

11 Cur eadē chorda impulsa nūc acutius modo grauius resonat? An quādo tēditur: acutū sonū reddit: & otyus aer percutitur, quādo uero remittitur, graue cōsonātiā profert, quia segnius aerē mouet, nec ex unica citatione, quādo tunditur neruus, sonitus ille cōstat, sed ex multis, quæ propter cōtinuitatē latent, & unica esse uidentur, ad eū modū in hieme, & humecto aere, graue perstrepunt chordæ: in uere autē & calidis horarum momentis, acutum quid atque sonorum.

12 Cur tria armoniarū genera fecerūt Dorium & AEoliū & Ionicū? An quoniam tot fuerunt cæteris imperantes Grætiæ populi, Dorij seueri & graues, EAoles fusi, & arrogantes: quorū armonia subdoria etiā dicitur, quod ad illam proxime accedat. Iones austeri, & acerbi, & musicen habentes cuius ad tragædias usus aptus. Phrigiū aūt, & lydiū à barbaris ī uicino incolētibus postea acceptū est.

13 Cur musici. R. litterā sæpius cōcentibus adhibent. S. uero plurimum deuitant? An quoniam ex semiuocalibus suauior, & bene mobilis est, & suapte spōte ab ore fluere uidetur. Quā ob causam Græci hanc litterā omnibus quæ indigite & præpete latione agitantur: apponere curarūt: ut cū aerem dicunt, & aquam hydor, & thermòn calidum. S. autem difficilis duraque & pronunciatu aspera est, unde equos quorum durum & intractabile est os: samphoras quasi in faucibus sigma litteram ferentes: Argolici appellant.

14 Cur circulus finitus & infinitus simul appellari potest? An finitus quidē, quia unico circūferētiæ ābitu undiq; circūscribitur, infinitus aūt nō absurde nūcupabitur, quia nullū in eo assignare pūctū est, quod magis principiū q̄ finem appellare possis.

SECTIO III. EA CONTINET QVAE AD artes logicas hoc est rationales spectant. De ijs quæ ad grammaticem.



CVr artes nō omnia redegerunt in artē, sed multa extra artis fines posita reliquerunt? An quia non ipsæ sibi artes artis opera inuenerunt, sed cum reperisset usus, emendarunt. Vt in arte grāmatica uidere est, nam cum haberent opus homines: ut mutuos animi affectus & conceptus sibi alternis significarent, loquendi rationem necessario sunt commenti, & uoces atq; dictiones: prout forte fortuna casuq; cōtigit, procrearunt inter se, quarum plurimas qui in ea re diligenter sunt uersati, certis artis limitibus concludere sunt conati, cætera uero quæ decorem illum artis & eurythmiam subire, & ad exactam libellam stare, & conformari non poterant, intacta prout usus præualuit omiserunt, indefinitæ enim rei, non nisi indefinita est regula, ut prodit Aristoteles de Lesbijs lapidibus: qui non ipsi ad structuras & edificandi rationē, sed potius canones ad illorum duritiem indomitam accommodabantur.

2 Cur solœcismum: à barbarismo differẽtiã facere uolentes: in propositione & oratione absoluta constare eũ asserũt, cũ si quis ad quærẽtem quis te percussit, gestu fœminam demõstrãs: hic respõdeat, unica dictiõe solœcismũ cõmisisse uideatur? An nõ sine uerbo rationẽ is protulit, quod ante prolatum subintelligi nihil uetat. An potius nullatenus solœcismũ fecisse dici quoquo pacto debet, qui nihil aliud est: q̃ repugnãs quidã, & sibi non adhærens in oratione dictionũ cõplexus, quod fit si constructio peccet, uel genus dissideat, uel numerus nõ conueniat, ut si dicat quis ego uerberamus, uel tu percutis seipsũ, & duo scopuli, alter humilis, alter excelsus, cum ex duobus scopulis, uel duorum dicendum esset, & pulcher puella, cuius inconstãtiæ & dissidij auditorij meatus hoc est aures ipsæ (ad quas hoc arbitriũ & norma recte loquẽdi pertinet) nõ oculi iudiciũ ferre debẽt. Nũc autem illius responsionis absurditatẽ, si quis uel oculos contritos habeat, aut defossos, aut in nocturna consistentia illam responsionem audiat, uidere nõ poterit. Vnde nec solœcismi rationem habere dicenda est. Pari pacto si præsente fœmina dicat aliquis, hic flagello me cecidit, sermo sanus est, intentio autem peruersa.

3 Cur cum tempus continuo labatur, præsens aliquod esse diffiniunt, quod nunq̃ cõsistere nouit? An quia tẽpus cũ latitudine percepta & dilatione accipiant, quod tunc esse dictitari consueuit, quando momentum aliquod internum cõtinuatiuũ suarum partiũ est. An uero tẽpus pro instanti capiunt, quodq́ nec ante præcessit, nec post secuturũ est, tempus præsens appellant. Perinde ut si quis in canalis affatim fusimq́ profluentis riuulo digitum intingat, is non ex aqua quæ iam profluxerat, nec ex ea quæ adhuc in fluore non erat, digitum madidum retulisse, sed ex præsenti latice maduisse dici meretur.

4 Cur pronoĩa sũt inuẽta: cũ noĩa pro quibus ponũtur, abũde fuisse ad explicãdũ satis uideri possũt? An quia euidẽtius res additis pronominibus exprimuntur. Vt hic Petrus prædicauit, uel ipse Pythagoras dixit? An quia cũ noĩa oĩa sint tertiæ personæ cũ qua etiã directe cõstruũtur, nõ posset quispiã uel de seipso, uel ad alterũ loqui, nisi pronomẽ additũ personarũ cõfusionẽ distingueret, & nomẽ ad hãc uel ipsã personã cõtraheret, uocatiui aũt nominũ casus ad secundã referuntur.

5 Propter quid infinitus modus cæteris tẽporibus post ponitur? An quia proprie is dicitur modus: qui affectũ & uolũtatẽ mentis aliquid cupiẽtis designat. infinitũ aũt tẽpus solũ actũ, & nõ mẽtis cupiditatẽ importat. cætera uero & actũ & affectũ, ut cũ dico scribo & uelle scribere me, & id opere iã cõplere, facio manifestũ.

6 Cur orthographi scriptoresq́ in mẽbranis quidẽ tenuiori utuntur atramento, cũ uero in papiris scribunt, quas ex tritis lacernis de more faciunt, grossiori

chartas

chartas illi nunt? An quoniam membranum non facile suscipit, & imbibit humorem, qui si semel inhæserit, seros ad nepotes peremnet, atque ob id ut ingrediatur, & subeat, subtilius usurpant, quod si chartis papirisue adhibeatur, dilutas guttas gemi naret, quibus propterea crassius & astringens magis atramentum conuenientius est: quod in summo oblinatur.

7 Cur epicos carminumque hæroum compostores rapsodós uocauerunt? An quia cum rabdo id est uirga, uicos pagosque circum obeuntes, canebāt odas: melicosque concentus. An quia primi huius generis auctores: quæ uulgi ore dicta, egregie & acute circunferebantur apophthegmata, parœmias, leges quas canere consueuerant, in unum componentes: ex diuersis carminibus & centonibus: opus consuebant, raptin autem Græcis suere est. quod in Homèri rhythmis numerisque à critico grammaticorum grege factitatum proditur.

8 Cur qui orationem grauem & seueram facere uolunt, dictiones collocant & connectunt, quæ. o. et. a. litteras in calce gerant, ut Plato, late autem imperans saturnia propago in stellato Olympo, uolatico essedo impulso defertur? An quia eæ duæ litteræ ora & hiatus distendunt, tumidosque reddunt, ceu ampullas, & multū tēpus in earum prolatione cōsumunt. Unde & syllabas longas quoad possunt usurpant, i, uero & , u, ceu scopulum fugiunt, quia deducunt, & ueluti occludunt loquentis fauces. Nec deffuerūt, qui oionisticèn id est auguralem Oonisticèn per magnum O dicerent ut pleniore uocabulo uterentur.

9 Cur thecas loculamentaue quibus res seruandæ reconduntur armaria appellauerunt. An ab Herma hoc est, à Mercurio quasi Hermaria hoc est Mercuriolos dicas. Veteres nāq; huius deorū caduceatoris atque interpretis imagine, statuas quasdam sessiles & sedentarias, tum pedibus tū manibus carentes, ex lapide aut quauis alia materia exprimebāt, in quibus obducto hostiolo, quod extrinsecus obsignabāt, eorum quos sibi deos putabant, simulacra reponebant.

DE IIS QVÆ AD DIALECTICEM



CVr sophistæ gloriam magis quam rerum scientiā ueram aucupātur, uiderique magis quam esse præoptant? An quia hoc illi citra sudorē & puluerem quod dicitur facillime cōsequantur, cum uel tenuem ueræ sapientiæ umbram comparare nimis sit operosum: & quod magnis & ingentibus laboribus constet. Quorū impudentiam uel ex eo maxime percipias, quod cum Socrates qui nihil non mirifica quadam sapientia fretus rerum aut dixit, aut gessit: nihil se scire confirmaret, Protagoras unus ex numero sophistarum, in tantā insaniā processit, ut omnia se nosse asseueraret. Nullus (inquit) hactenus in hāc usq;

diem cui ego fuerim congressus, à me noui quippiam sciscitatus est, nescio enim quonā pacto eadē ipsa: quæ multo ante cognitione præcepi, me omnes interrogant.

11 *Cur cū probabilibus tātū rationibus: sophistes & dialecticus pergāt & argumētentur: inter se tamen distinguātur? An quia alter alterius est finis. Nā qui dialecticis argumētationibus nititur, gloriam dū taxat ex illis ut cōsequatur: hoc agit, qui uero sophisticis artibus pugnat, ditari tātū: & opes congerere intendit.*

12 *Cur demonstrantes non interrogant? An quia qui rogat utrāq; partem cōtradictionis comprobare paratus est, qui autem demōstrare conatur: alteram dūtaxat partem inducere contēdit. nec unq; diametrum costæ quadrati cōmensurabilem esse, uel triangulum non habere tres æquales duobus rectis: ut comprobet, ratiocinationem afferet. An quia qui interrogatione utuntur modo hāc modo illā pronunciati partem assumūt, ut oppositum respondentis astruāt. Sed qui demonstrationē adhibet: unū tantū diffinitūq; accipit, ut scilicet si ita res ferat: q trigonus tres angulos habeat duobus æquos qui ex ordine ponuntur, ex quo potius non autem ex eo q tres anguli trigoni inæquales sint illis duobus qui ex casu lineæ rectæ in aliam conficiuntur: ipse habet intentū. Adde q qui rogitare cōsueuerūt: nūc has modo aduersas propositiones arripiunt: prout in rem suam magis interesse censent, demonstratio autem non fit ex ambobus, nec aduersa captat: sed primas, ueras, & immediatas, certasq; quasdam pronunciationes asserit, quæ sint priores, & notiores, ipsiusq; conclusionis inferendæ causa: ut demonstrandi negocium peragat.*

13 *Cur inter artifices qui easdem artes operis amore, non lucri, & commodorum spe profitentur: contentiones, & mutua dissidia exoriuntur, alijs hoc quid ad rē talem, utilem esse contendentibus, alijs contra negantibus? Vt in re medica haud obscure, nec lippis oculis perspicere est. Sunt enim nōnulli qui in omnifaria inedia: & esuritione usque ad uigorem morbi ægros continendos esse uelint, nec desunt, qui nō tenuius sed crassius uictu uti oportere contendunt. Nonnulli mulsam solam sufficere arbitrantur, cremorem hordei multi laudant, alij & hunc uituperant, & totas ptissanas exhiberi operæpreciū fore asseuerāt. Denique nedū rē medicam, aut naturalem, & supernaturalem, uel diuinam philosophiam (in quibus nihil mirum est, si de rebus sensui non subiectis disceptationes uersentur) professorum pro captu arbitrantium multitudo uersat, sed & nulla ars est aut scientia, cuius decreta sensu dijudicari licet, quā non sursum atq; deorsum, huc atque illuc, uariæ opinātiū sententiæ & opiniōes exagitēt. An quoniā hoc huic, illud illi, aliud alij, ex usu & accōmodum est. nō omnibus autē omnia. Singuli autē unū aliquod præsidiorū salubriter experti, ijs solis acquieuerunt, ueriti nè aliud quodpiam infœliciter experirentur,*

quæq;

quæq; aliquos iuuisse obseruarunt, ea omnibus competere audacter pronunciarunt. quæ nãq; quisq; profuisse uidit, ea in omnibus pari ui profutura sibi ipsi persuasit. Res autem non sic habet, multum enim naturæ inter se differunt. Sed is solus qui in differendi artibus fuerit exercitus: quiq; quid simile, quid dissimile, in rebus pernoscere didicerit, quidq; commune, quid priuatum, in quo singula ab alijs cõmuniter, à quibus priuatim in quo diferant, quid commune multis, quid singulare, facile causam artificum discordiæ comprehendet.

14 Cur sæpe qui eandem artem pertractant, non eadem de eisdem diffiniunt, & opposita dicere uidentur? An quoniam uniuersales pronunciationes faciunt, de ijs quæ per partes uiserunt, uel ad plura rem deducunt, & extendunt, q̃ suapte natura protrahi & pati possit.

15 Cur nomen & uerbum à criticis grammaticorũ censoribus & Aristarchis primas obtinere partes iudicentur? An quia se solis perfectam & absolutam pronuntiationem nullo altero indigentem, ut integer sensus auditori reddatur, constituere possunt, quod reliquis orationis partibus: haud quaq̃ contingere uidetur. Nam si quis efferat, & ille idem homo hodie dilapsus concidit, quæ ex omnibus partibus constat, ita ut ille articuli uim ferat, si aut copulam &, aut pronomen idem, aut aduerbium hodie, aut præpositionem cum, aut participium dilapsus, ita ut homo cecidit relinquatur, remoueat: nihil oberit, quominus integra sit oratio, dum si aut nomẽ, aut uerbum tolleretur, plane nihil certi, qui audit, percipere possit: sed adhuc dicentis ora teneret, & suspiceret, quidnam tandem additurus esset.

16 Cur cũ præteriti tẽporis differẽtias plures litteratores fecerint, nam & in id quod olim gerebatur, & quod mox perfectum est, & quod etiã num geritur, nec dũ ultimã manũ uidit impositã, secuerunt, futuri tẽporis rationẽ nõ ita habuerũt, ut frustratim distinguerent, quid mox, aut quid olim futurũ esset, aut quod sic incipi deberet, ut non perfecte compleretur? An quia præteritorum iam & confectorum certa pronunciatio est, quia nec infecta, quæ sunt facta fieri possũt. Futura autẽ ambigua & incerta sunt, ut nullus præscire, aut prædicere quem euentũ res sortitura sit, nisi dei munere possit, qui nõ præsentia magis q̃ quæ lõgissime absunt, & quæ nõdum entis appellatione censentur, sed in causis suis abdita delitescunt, in diuinitatis suæ speculo contemplatur, in quo q̃uis immutabili existenti, omnium rerum mutabilium, quæ indies innouantur, uicissitudines, & notiones referuntur, & sine ulla cognoscentis mutatione collucescunt.

17 Cur in syllogismis altera maior altera minor propositio appellatur? An quia subiectũ minor terminus dicitur, prædicatũ aũt maior quia de pluribus semper

quàm subiectus terminus, dici aptum est. hoc autẽ de pautioribus: uel de numero æquis, nunquam de pluribus quàm prædicatũ accipitur. Illa igitur propositio in qua prædicatum conclusionis inferendæ ponitur, maior merito nuncupatur: in qua autem conclusionis subiectum medio termino subijcitur: minor non abs re nominatur. Ridiculi autem forsam ij sunt: qui propositionem primo conceptam ab intellectu maiorem dici uolunt, & si qui alia tradiderunt.

18 Cur figurarum prima nobilissima censetur? An quia cum duo in propositionibus attendantur, quale: ut affirmatio scilicet & negatio, & quantum: ut uniuersale & particulare, quorum affirmatio negationi præstat, uniuersale autem particulari est potius, in prima figura & affirmatiuas tam particulares quàm uniuersales, & uniuersales tam affirmantes quàm negantes concludere licitum est. Quo circa artes omnes atque scientiæ, quæ uniuersale aliquod dogma, uel theoréma, uel placitum ad actionem tendens, uel contemplationi addictum colligere uolunt, hac maxime imprimis figura uti dignoscũtur. An quia aliæ figuræ ab hac procreãtur, & gignũtur, & ad hanc tanquàm ad principium & causam reducũtur. Nam si ex duabus propositionibus in prima figura dispositis: alteram hoc est maiorem conuertas: ex illis ijsdẽ in secunda figura propositum demonstrabis. Si uero minorem propositionem permutes: aptas habebis: ad ratiocinationẽ in tertia inferendum. An quia cum triplex sit syllogismus, demonstratiuus, qui dignitate præcellit, & dialecticus: & sophisticus qui dialecticis quidẽ arguẽdi formulis utitur, sed perperã arguit, ut pseudigraphus qui hypotheses geometricas usurpat, sed problema nequaquã sed longe (quod aiunt) à diagrãmate describit. Qui demonstrant primã figurã adhibent, qui uero dialecticos syllogismos cõnectunt, secundã sibi uendicant, in qua negatiua infertur, ut pote quibus non adeo propria decreta statuere, & construere, quãtũ oppositum eorum quæ aduersarius asseruit, concludere propositum est. Sophistæ autem qui nihil maiori precio emerint, quàm si partes totis æquales ostẽdantur, quique id duntaxat agunt, ut leuiculam auram, & uel emptum applausum aucupentur, tertia abutũtur, in qua particulare concluditur. Porro tertiam secunda quantitate superat, quæ uniuersalia etsi negatiua infert, secundam tertia uincit qualitate.

19 Cur tertia figurarum prè alijs plures modos coniugationesue habet, quibus syllogismi complicari possint? An quia prima maiorem ut sit uniuersalis postulat, minorem ut affirmet. Secunda ut maius pronuntiatum uniuersim accipiatur, minus autem ut oppositæ sit qualitatis requirit. (ut nanque omniũ cõmune est: ut nec ex particularibus: nec ex negatiuis quicquàm concludant, ita huius peculiare est: quod ex duabus affirmatiuis propositionibus nihil peragat) ad tertiam autem id unum sufficit, ut huius

us ſicut & primæ minor affirmet, maiori qualicunque exiſtente.

20 *Cur dialectica philoſophiæ pars eſſe non poteſt? An quia omnis ars quæ alterius fine utitur, principalior & magis architectonica eſt: ꝙ ea cuius opus uſurpatur, ut facultas militaris quæ equo utitur, ut comparet uictoriam, ꝙ ea cuius frenũ eſt labor. Artiũ igitur pleraſq; dialectica præſtare nihil dubium eſt, quæ illius opera utuntur, at nec philoſophia: nec quauis eius parte dignius (quæ nobis hominibus una ex cæli regionibus data eſt) dicere quicq; poſſumus. An uero quia ut ſciẽtia quæpiam aut facultas alterius pars eſſe dicatur maxime opus eſt: ut finẽ ipſa aliquẽ peculiarem præter illius ſuperioris finem habeat proprium quem conſtruat: cuiuſq; gratia cũcta laboret, & patiatur: qui finis ſub illius fine reponatur. Nam ſemper generalior facultas quæ rationem architecturæ magis ſubit, plures inferiorum artiũ fines colligit, atq; complectitur. Vt œconomicè cui cura domus eſt: ſub ciuili quæ urbem curat, collocatur, quæ nihil aliud eſt ꝙ domorum multarũ collectio. & medicus ophthalmico ſuperior artifex, quia totius hominis ſanitas oculi ſoſpitatem ut partem comprehendit. Dialectica autẽ uel ars diſſerendi nullum quempiam talem finem ipſa conſpicit, aut agit, ſed ſolius philoſophiæ gratia diſcitur, nè in congreſſibus & ueri inueſtigatione fallantur, illius ergo organum eſt. Nec uero quia eam conſtituerit & inuenerit philoſophus, inſtrumentum propterea eſſe non poteſt. nam & incudes & malleus & forcipes ſunt organa fabri, quæ illum confeciſſe proprijs manibus nihil obſtat.*

21 *Cur AEthiops ater dicatur cum ungues, dẽtes, & pedum manuumq; interna ſit albus? An quia ad hoc ut aliquid tale dicatur, abunde eſt, ut per maiorẽ partem ſui diffuſam habeat qualitatem. An uero quia & ſi dentes ebore magis cã dentes habeat (ad quod multum facit furfuraceus panis quo plurimum utuntur, qui abſtergendi maxime ui pollet ſordes & lentores qui dentibus adhæſerũt) nihil obſtet quò uel coruo nigrior appelletur. Non enim ſecũdũ eandem partẽ qua nos eum furuũ uocamus, inhærentem alborem obtinet, eſſet autem manifeſtus elenchus: ſi quis eadem parte fuſcum & candidum comprobaret.*

22 *Cur Ariſtoteles philoſophus ad quorum negocium totus finis ſpectat, ut dè demonſtratiuo ſyllogiſmo pertractent, quo cum ſcientia comparatur, de ſophiſticis redargutionibus, quæ non adminicula, ſed impedimenta potius ſunt ad ueritatẽ conſequendam, & importunæ quædã cauillationes, quibus imponere atq; ſeducere animos ſophiſtæ nituntur, ſibi agendũ propoſuit? An ut ſcientes quotupliciter fallerent, & quibus modis ueritas deſtruatur, & mendaces ſermones mentibus ingerantur, magis refellere, & reuincere poſſimus eos qui nos redarguere moliuntur.*

Vt enim qui nodorum rationẽ nouit, quibus fasces nectũtur, facile uincula eius quod religatũ est, resoluere sciet, ita qui technas calleat quas astruũt per otiũ sedẽtes intus: sophismatum malorum compositores, minus illorũ laqueis irretietur. Et ueluti medici non salubria solum, sed & pernitiosa medicamina considerant, ut ab ijs abstineant, ab illis sanitatem recuperent, qui ægrotant, ad eum modum philosophum tã de demonstrante, q̃ de captiosa ratiocinatione, ut ab hac caueat, illa utatur, perscrutari non dissentaneum est. Nec ad hoc solum ut argutas illas ingeniorum capturas, & improbas subtilitates caueamus, hoc agere decet. Sed ut etiam suo (quod aiũt) gladio, suisque met telis illos iugulemus, suisque artibus & imposturis capiamus eos, qui nobis insidias parabant. Nam fucum facere impostori, & cretizare aduersus cretensem, suoque cautam deludere astu uulpeculam, lucrum & operæprecium est, ut antiquorum parœmiæ comprobant. Vnde Aristoteles non de sophisticis syllogismis, sed redargutionibus libro titulum indidit, quem fecit, ut scilicet redarguendos & confutandos esse qui magis uideri quam esse cupiunt, designaret.

ERRATA.

Folio.ij.pag.ij.linea.xij.lege tusculi. in Epigrãmate leg. lapsus carmine quinto, & infra leg. non ero. fo. quinto pag.ij.lin.i.leg. nec oculos aduidẽdũ fuisse factos & rade fuisse creatos. fo.ij.pag.ij.lin.ij. pro trochorũ leg. circorũ. li.xv.leg. animãte. fo.xxv.lin.i.leg. Sectio.vi. & pag.ij.lin.iiij.leg. & nõnulla loca uicina non adeo uirtute & fo.xxvi.lin.i.leg. Sectio.vi. & pag.ij.lin.xiiij. leg. basim. fo. xxvij. linea xix.leg. corpora. lin.xxiij.leg. concomitãtur. lin.xxiiij.leg. innitantur, & fol.xxvij. pagi. ij.linea.ij.lege à dijs sunt perceptæ. fol.xxviij.linea.vij.leg. diffluunt. & linea. xvij. cieat. fo.xxix.pa.ij.lin.iiij.leg. caui, & fo.xxx.lin.xvi.leg. minime eos in eadem. fo.xxix.pag.ij.lin.xix.leg. nõ cõueniũt, & lin.xxv.leg. nec ullus calor est.

BREVIS ELENCVS LIBRORVM quinque, & omnium Sectionum quæ sunt in hoc opere Problematum.

LIBER

Sectio prima continet ea quæ ad supernaturalem philosophiam concernunt.
Sectio secunda libri tertij in qua insunt quæ ad diuiniores sermones spectant Problemata autem.14.

LIBER QVARTVS PROBLEMATA continet quæ ad res medicas faciunt.

LIBER QVINTVS, CVIVS sunt Sectiones tres ea continet, quæ ad ingenuas disciplinas pertinent.

Sectio prima de ijs quæ ad astronomiam.
Sectio secunda de ijs quæ ad arithmeticem & musicem attinent.
Sectio tertia libri quinti ea cõtinet quæ ad artes logicas (quas uocãt) hoc est rationales spectant.

FINIS.

EXCVSSVM EST HOC PROBLEMATVM OPVS DIVINO FAVENTE NVMINE OLYSSIPPONE MENSE IANVARIO, ANNO A VIRGINEO PARTV.

M. D. XL.


LVDVVICVS
RODVRICI




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm